# MATTHAEI DONIENSIS ORMAZII METHYMNAEI ... DE INSTRUMENTO INSTRUMENTORUM SIUE DE DIALECTICA...

Matthaeus Doniensis Ormazius

# MATTHAEI
## DONIENSIS ORMAZII
## METHYMNAEI
## SACRAE THEOLOGIAE
## DOCTORIS.
# DE INSTRVMENTO
# INSTRVMENTORVM
## SIVE DE DIALECTICA
## LIBRI SEX.

In quibus facili & exacta via tota organi Aristotelici ars luculenter & sub compendio traditur: iis maxime qui breui & sine præceptore philosophiam adire voluerint pernecessario:

*Definiendi scientia & aliјs quibusdam denuo adiectis & post hominum memoriam in methodum nunc primum redactis.*

*Cum gratia & Priuilegio.*

VENETIIS,
Apud hæredes Melchioris Sessæ.
M D LXIX.

# SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO. D. N. PIO DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QVINTO.

## Matthæus Donienſis Ormazius Fœlicitatem.

CVm duę ſint res, Beatiſſime Pater, quæ noſtra hac miſera tempeſtate Chriſtianam Remp. per tot regna & nationes graſſante incendio, proſciderint, concuſſerint, labefactarint, morum corruptela, & bonarũ artium contemptus ac inſcitia: illam tu (quæ tua eſt eximia vitæ integritas & animi candor) omnino a grege tuo eliminare, eumq; in primitiuæ ac ferueſcentis Eccleſiæ rectitudi-

nem restituere, & quasi in pristinam formam refingere, ac instaurare contendis: Hanc vero te Pontifice summo, summo etiam Theologo, & Catholicæ solidæq; literaturæ vindice acerrimo, in ordinem redigendam locoq; illius, sanctorum patrum monimenta, scholasticorum doctorum vigilias, sacram demum doctrinam suis numeris absolutam in animis hominū reuiuiscere, quasiq; è tenebroso hæresum barathro emergere incipientem, pro dignitate stabiliendam non desperamus. Verumenimuero quo magis versutus ille humani generis hostis te, in summo Christianismi fastigio pro meritis præsidentem, anniti videt, vt aduersus eum sanctissimis legibus & indefessa pastoralis speculę cura, nos vndiq; munias, & circumualles: tanto validius ac vigilantius ab omni nos latere impetere satagit. Quamuis enim (vt ait Apostolus) oporteat semper hæreses esse, nunquam tamen ab orbe redempto vel plures vel nocentiores Ecclesiam Dei infestarunt, quam vel vnus Lutherus eiusq; discipuli in orbem inuexerint: quippe qui ferè omnes iam multis retro seculis consopitas ab orco re-

uocantes,

uocantes, in vnam (quod aiunt) Camarinam exonerarint: plurimis a se adiectis, quæ nulla hominum memoria patronos inuenerint, omnes tamen eo tendunt, hunc vnum sibi proponunt scopum, vt nullis legum repagulis licentia hominum coercita, nullo pudoris aut humanitatis respectu permota, nullis honestatis habenis inhibita, vitam viuere liceat belluinam: quod nec vllas barbaras nationes admisisse, vllis est literis proditum. Quis enim adeo immanis & ἄθεος scytha (vel si quis apud anthropophagos Indos, & adustos Blemmyas, rudior in humano sensu & efferatior animus vigeat,) vnquam fuit? qui nullum crimen aut pœna plecteret aut saltem ea dignum existimaret? nullamq; virtutis vel tenuem vmbram edi ab hominibus posse contenderet? Nouus tamen hic pseudopropheta (ne peiori eum calculo denotem) neque in vllo humano opere virtutem agnoscit, neque ob scelus vllum pœnam veretur, dummodo hoc vnum credat, se per nudam fidei susceptionem eam impunitatem promeruisse. O inuerecũdam & effrenem apostatæ petulantiam, o monstri-

ficam & petulantiſſimam ſtultitiam. Nec ſa cile dixerim, maius ne fuerit hominem inter Chriſtianos inſtitutum, in religioſis clauſtris verſatum, ac denique Catholica doctrina per non paruum tempus imbutum, adeo malorum pondere immerſum obbrutuiſſe, vt tot errorum ſentinam perſuadere orbi in animum induxerit, tentarit, auſus fuerit: an quod in medio orthodoxorum doctorum ſole, quibus (proh dolor) nobiliſſima illa prouincia celebris erat, Cymmerias (quod aiunt) tenebras, uiris ratione præditis, &, quod maius eſt, ingenio aliàs & eruditione non infimis, tam nullo negocio offundere potuerit, eoſq; in ſuam ſententiam illexerit, pertraxerit, iurare fecerit, & quotidie faciat. Cuius rei rationem mihi perſcrutanti ſuccurrere ſolet, vafrè quidem & ſerpentino aſtu, inter innumeros propè errores qui ab hoc Sathanico Antielia tanta contentione aſtruuntur, illum primas tenere, quo nullum non lapidem mouere perſeuerat, vt ſcholaſticam quam vocam Theologiam, omnemq; quæ arte & ratione conſtet diſciplinam è medio tollat: eq; ſuorum cœtu penitus elimi-

net,

net, & excutiat. Nec difficile eſt intelligere (ſi maiorum exempla & monimenta conſulamus) quamobrem iſte diſcipulos ſuos, a facultatibus quæ via & diſcurſu veritatem exquirunt, alienos eſſe velit. Quemadmodum enim Epicurus reijcit Dialecticen, Machumetis etiam pſeudomyſtæ Saracenos procul ab omnibus diſciplinis abducunt, quoniam intelligunt diſciplinas arteſq; omnes rationales doctrinæ peruerſæ eſſe contrarias: ita infamis iſte hæreſiarcha, ne quando a diſcipulis errores ſectæ abſurdiſſimi deprehendantur, cupit eos ab omni cognoſcendi ratione ſeuocare: quod hæreticis omnibus familiare ſemper fuit, ſimiles enim habent labra lactucas. Hoc ergo cauillo, hac arte, ſuã ille plurimis obtrudere væſaniam & enixus eſt, & obtruſit. Etenim cum veritas veritati nunquam aduerſetur, conſentiat ſemper atque ſubſeruiat, iure ac merito ſcholæ noſtræ Autores nobiliſſimi, humanas omnes ſcientias tanquam ancillas ad arcem & miniſterium veræ ſapientiæ conuocarunt. Idquod Iulianus inuidens, in eademq; qua Lutherus hęrens ſalebra, Chriſtianis lege interdixit ſtu-

diis bonarum artium, vt Socrates Sozomenusq; testantur. Qua quidem lue quæ nocentior aut crudelior Orbi accidere potuit Christiano? sacræ siquidem paginæ legitima sensa, diuorumq; patrum intelligentia, non aliter profectò quam sedulo Theologiæ scholasticæ studio (quæ rationalium artium ministerio persæpè vtitur) erui satis atque ad veram lucem perduci valent. Cum in omni sapientia quæ veritatis est indagatrix, antiquissimus mos is fuerit, arguendo & respondendo ipsam inuenire: qui & viris clarissimis probatus semper fuit, & ad errores repellendos semper aptissimus existimatus. Certè quæ Augustinus contra aduersarios Ecclesię disseruit, tametsi & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius, quam vt ea quiuis è plebe possit agnoscere, ad euincendas tamen hęreses eo aptiora iudicantur quo tenuius ad viuum sunt resecata. Fuit enim semper apud omnes sapientes certissimum nihil ad illam quam quęrebant sapientiam consequendam sibi esse potius, quam vt essent in differendi exercitatione frequentissimi: vt enim per gymnasticam corporis vi-

res firmiores fiunt, ita dubio procul in hac quaſi literaria paleſtra animi vires fortiores longè & vegetiores euadunt, nec crediderim ego aliud poetas myſteriorum ſemper ſub varijs fabularum inuolucris celatores, per decantata Palladis arma, aut priſcos Hæbreos in ſua Cabala cum ferrum ſapientum ſymbolum eſſe dicunt, ſignificaſſe nobis, quam honeſtiſſima hoc genus certamina adipiſcendæ ſapientiæ oppidò quàm neceſſaria. Aliàs enim quid ferrum cum doctrina? Quid arma cum fœmina, eaq; ſcientiarum Dea, & pacis inuentrice, paritatis aut cognationis habere poſſunt? Immo fortè, inde etiam natum eſt Chaldæos illos peritiſſimos olim Aſtrologos, in eius geneſi qui ſapiens ſit futurus, Martem & Mercurium triquetro, id eſt, amico ſe aſpectu vt conſpiciant, deſiderare: Deum nempe belli, ingenij dominum, & literatornm (vt ipſi fingunt) patronum: quaſi ſi hos congreſſus, hæc bella ſuſtuleris, ſomniculoſa & dormitans futura ſit omnis ſapientia. Et quidem hæretici in ſacris libris euoluendis non

ſunt

ſunt nimium negligentes, attamen quia nulla ratiocinatione nullaq; rerum conſequentia vtuntur, atra errorum caligine excæcantur: eaq; de cauſa nuſquam nouarum ſectarum patroni prodiere, qui nō primum vniuerſam diſputādi artem a ſua rep. profligarent, quo viam ſibi & ad ſuos errores ſternerent, & ad eorum retractationem occluderent, & denique ad ſuam obſtinationem communirent: abactis enim a grege canibus (vt apud Demoſthenem legitur) peruius fit lupis ad gregem aditus. Qua quidem ipſe ratione ductus cum ab ipſa infantia literarum me ſtudio mancipaſſem, atq; adeo inter pueriles luſus Theologiæ me diſciplinam & nomen affectare balbutirem, poſtquam latinè græcèq; ad mediocritatem edoctus, ſcientiarum dominam conſtanti decreto cogitarem, Dialecticæ Philoſophiæq; ſtudijs totum me tradidi, iam tunc quaſi præſagiente animo graſſanti cladi viam præmuniens. Theologiæ tandem & ſacris initiatus, & laurea inſignitus, omne ſtudium & operam meam in id vnum potiſſimum collocaui, vt tam calamitoſo tempore, labanti Reip. conquaſſa-

tæ fidei, ac ferme deploratæ religioni, quod reliquum in mea exiguitate fuit, humeros ſupponerem: proq; aris (quod aiunt) & focis ad vltimum vſq; ſpiritum dimicarem: aliquid in hoſce peruerſos nouatores vel ſcribendo vel commentando. Verum cum me ipſum nunquam altiori ſacroſanctæ diſciplinæ contemplationi idoneum iudicaſſem, quin prius per Dialecticæ ſenticeta emicans, in philoſophiæ campo pedem figerem: operepretium facturus mihi viſus ſum, ſi ab ea re vnde mihi ipſe diſcendi, ſcribendi quoque alijs initium facerem. ea de cauſa Dialecticę quaſi methodum hanc, ſucciſſiuis horis, plures ab hinc annos & ſcripſi, & in lucem dare importunis amicorum precibus cum deliberaſſem: tibi potiſſimum Pie Quinte Pontifex Maxime dicandam cenſui: non veritus in multorum reprehenſiones incurrere, quos vitio mihi daturos non dubitabam, tum quod de paruis rebus (vt illis fortè videbitur) magnam Iliada conſtruere iudicer: tum quod tenuis argumenti volumen, exiguum nempe munuſculum ſummo orbis terrarum Principi conſecrare fuerim auſus. Mei tamen iudicij

ſemper

ſemper fuit, res ſacras illotis quod aiunt manibus non tractandas, nec ad penitioris ſapientiæ reconditiſſima dogmata, profundiſſimaq; ineffabilis diuinitatis arcana eos admittendos, qui prius huius artis(quæ rationalis hominis rationem dirigit, componit,& exornat)adminiculo, exculti non fuerint,& quaſi expiati. Reſpuit quippe profanas aures, & vix primis linguarum rudimentis imbutas, religioſa diuinæ ſapientiæ maieſtas. Quare neq; ego in paruis vnquã ea duxero,ſine quibus aut vix aut ægrè maxima conſtare queant: neq; verò veſtro iſti humano faſtigio quicquam præſtari valet quod non nimium infra culmen tantæ dignitatis ſubſideat. Quare qui noſtrá ope quoquo modo indigent doni magnitudinem nil mirum ſi reſpiciant: vobis verò non eſt quod tenuitas muneris diſplicere debeat quibus infra ſe parua ſunt omnia. Debebatur præterea Sanctitati tuæ labor hic meus,ex ſacro quippe prædicatorum ordine( in quo hæc ſtudia ſemper viguere) meritiſſimò aſſumptæ: ac proinde præcipuo earum artium cenſori,quæ quouis modo ad ſacræ paginæ expoſitionem debitum

exhibent

exhibent miniſterium & famulatum: inter quas non minimum locum iure hæc ſibi,& conſtanti doctorum teſtimonio, vendicat. Acceſſit illa quoq; cauſa, tanto vt patrono ſpem ipſe cõcipere aliquam poſſim, meum conatum ſtudioſis omnibus, vel ob tui nominis venerationem, probatum iri: & a te (quæ tua eſt humanitas)benigne ſuſceptus, ad ſolidioris literaturæ maioriſq; operæ ſtudia pro captu excolenda gradum faciam. Faxit Deus vt te,quem peculiari eius prouidentia hoc tali tempore ad Apoſtolatus apicem (ὥς θεὸν τίν' ἐκ μηχανῆς) euectum cernimus, in eodem pro voto & Chriſtianæ reip. emolumento longo tempore incolumem videamus.

# ERRATA.

*Primus numerus folia, secundus paginas, tertius lineas designant.*

*quam minimis,lege,quam paucis præfat.fo.* 4.a.19
*stricti,lege strictè* 1.a.19
*eorumq;,lege,eorum quæ* 7.b.28
*quendo,lege,quando* 8.b.19
*prædicamento:ad aliquid,lege,prædicamento,ad aliquid* 12.a.12
*commotatiua,lege,connotatiua* 21.a. 2
*commotatiui,lege,connotatiui* 21.a. 3
*& aut,ut alij etc.lege,& hic:etc.aut ut alij.*31.a. 9
*exempla.lege,exempla* 35.b.17
*adiectiaum,lege,adiectiuum* 30.a.29
*ꝙ in,lege,quod in* 31.b.15
*re:vt suum,lege,re vt suum* 35.b.23
*repugnantium,lege,repugnantes* 37.a.12
*q̃,lege,quam* 38.a. 3
*terminis,lege,terminus* 39.a.26
*distinea,lege,distineat* 43.a. 1
*conditionates,lege,conditionales* 48.a. 6
*hypothetycæ,lege semper,hypotheticæ.* 48.b.9
*exclusiue,lege,exclusiuæ* 52.a.6
*exponente,lege,exponentem* 54.b.10
*meres,lege,me res* 56.a.17
*propositto,lege,propositio* 57.b.16
*a1.6.lege,a.16.* 61.b.22

*q̃,lege*

| | |
|---|---|
| *q̃,lege,quam* | 70.a.27 |
| *ſubiectis,lege,appoſitis* | 83.a.20 |
| *diſpoſition,lege,diſpoſitioni* | 83.a. 2 |
| *ab animali,lege,ab anima ſenſitiua* | 85.b.29 |
| *proprios,lege,proprias* | 89.b. 1 |
| *incenſati,lege,inſenſati* | 102.a. 2 |
| *cordatos,lege,cordati* | 104.b.27 |
| *quoq;,lege,quod* | 114.b.10 |
| *ſyrups,lege,ſyrupis* | 114.b.18 |

*Aduertendum ꝙ numeri foliorum a.92.ad.101. ſunt duplicati, hic autem citantur prout eſſe deberent.*

# PRAEFATIO AVTORIS AD LECTOREM.

SI EA inſtituti huius noſtri ratio eſſet, benigne lector, quæ aut commendatione propria egeret, aut laboris excuſationem poſtularet, longa nobis hoc in loco vtendum eſſet præfatione: altiusq; conſilii mei ſeries exponenda iuſtum ferè volumen vna ea res expoſceret. Sed cum eius artis (quam hoc tibi munuſculo adornamus) ope, tota ferè ſcientiarum ſtructura conſtet, nec ſit qui Dialecticen diſciplinarum omnium limen, ſapientiæ oſtium, muſarum adminiſtram, tam reip. quam homini cuilibet, oppidò quàm neceſſariam inficias eat: ſuperuacaneum eſſet eiuſmodi prole-

gomenis paginas infercire. ne tamen omnino liber hic ἀκέφαλος videri poſsit, pauca hoc in loco prælibanda duxi,quæ non minus in tuam, quam in meam rem fore exiſtimaui. Faciendum enim ſatis eſt iis,quibus non abs re forſan poſt tot taleſq; Autores,qui ea de re tot retro annis accuratiſsimè ſcripſere , importunè ipſe in lucem prodire videar , qui neque nominis ſplendore , neque ætatis prærogatiua,tantum mihi arrogare auſim,vt illorum minimũ aſſequi, nedum anteire præſumam . Quid quod librorum congeries , & ſcriptorum multitudo,quotidie in hanc quaſi orbis ſcenam ſe oſtentantium , rebus ipſis potius tenebras offundere , quam intelligentiæ lumen afferre non immerito videri queat ? erunt & qui , ſi nõ importuna ſcribendi quaſi prurigine offendantur, auerſentur tamen ambitionem, qua fit,vt quæ bene quiſpiam dixerit,obliquè detorta indies ſequentes proſcribant : quæ detorqueri nequeant,plagii arguant , eadem cuius alios ſuggillant labe infecti.taceo non paucos ſtomachi delicatioris, & ad quodq; non Ciceronianum verbum nauſeantis, Qui vel ſacrám paginam Vallæ cenſuræ non ſubiici moleſtè ferunt: Et quos in Anacharſide,naturæ cauſas, vias vniuerſi,rationem Dei, conſilia cœlorum , terræq; myſteria ediſſerente,Scythiſmus offendat(quod que ille ait)ſectum prauè ſtomachentur ob vnguem.

guem. quibus,vel moderna,ac parisiensia nomina pauorem incutiant, vel ipso (ut ferunt) pene timēda sono. quasi non,& quælibet ars propriis instrumentorum nomenclaturis, peculiaribus, ac domesticis sui fori vocabulis gaudeat: & absurdum non sit fabrum ferrarium nomina ipsis Cethegis ignota quotidie sine reprehensione effutire, verborum autem ( vt ita dicere liceat) fabrum & architectum,verba nisi fullonibus, & vetulis nota, quæq; in macello vænire posśint cudere sit piaculum. a quibus quidem libenter quærerem,pluris ne haberent ornate, eleganter, apposite,ad persuadendum turpia,falsa, & futilia,dicere: an tenuiter, sed propriè, incongruè, sed exactè,barbarè,sed perspicuè, vera,honesta, optabilia,proponere. Potuissem equidem,(vt de me parcius loquar) non multo negotio, pauca quædam è probatiśsimis quibusq; autoribus excerpta non insulsè coagmentare, nec in omnigenis autoribus uersato,in græcis myrotheciis instituto, nec a poetarum pigmentis & flosculis penitus alieno,difficile fuisset ad declammatorium dicendi genus nonnulla accommodare, quo iis placerem,qui se eloquentiæ nomine venditant: sed malui me hercule, rem implexiśsimam dilucidè pro argumenti qualitate,prudenter & doctè(quantum in mea fuit tenuitate) exponere:quam similium auram ventoso scriben-

di genere ambitiosè captare, sed nolo tanto sint nobis negotio latinisatores isti Ciceroniani, qui nihil minus, quam Ciceronem philosophum summum, nec Dialectices expertem redolent: facessant procul & si nos fastidiunt, tædio per me isto liberentur ocius. Redeamus ad eos quos iustior a nobis auertit prætextus, quibus si breuiter totius instituti nostri rationem, & scopum ob oculos posuerimus, abunde nimirum responsum erit. Vtq; a linea (quod aiunt) rem ordiamur: Post illos priscos sophistas, qui nondum in methodum redacta Dialectica de quaque re proposita ambitiosam in vtramq; partem disputationem venditabant, quales fuere Arcesilas, Prodicus, Protagoras, & Gorgias: Zeno fuit, qui omnium primus disserendi scientiam præceptis alligare satagens, exemplum eius rei transmisit ad posteros, cuius forte æmulatione non multo post Aristoteles artem perfecit, quædam immutans, alia addens, multa in meliorem redigens formam, organi nomine illi imposito. Fuit quidem vir ille, diuino (quod extra controuersiam est) in tradendis disciplinis ingenio, in enodandis eloquio, in disponendis iudicio: sed inuido quodam (vt vulgò fertur) animi sui decreto (vt mihi verisimilius videtur) temporum & notariorum iniuria, adeo apud nos implexus, durus, &(quod diuinare licet) mancus habetur, vt per

mille

mille amplius annos fœlicissima totius terrarum orbis ingenia in eius expositione indefessè cum in sudarint, vix id præstitisse videri possint, ut longo tempore, multis vigiliis, pluribus scholiis, aliquem eius excellentissimi philosophi, uel tenuem gustum consequi valeamus. quod cum mecum sæpenumero cogitarem, animaduerteremq;, plus aliquantum in syntaxi ipsius Aristotelicæ literæ examinanda, temporis & laboris insumi, quam vel toti Dialecticæ mediocriter addiscendæ sufficeret: Videremq; hanc grauioribus studiis iniuriam non contemnendam irrogari, vt dum præferuida iuuenum ingenia iis, plus iusto distinentur, meliores annos, tot uigilias, ipsamq; iuuentæ alacritatem amittant, quibus in melioribus literis non parum proficere possent: accessisset illa quoq; causa, ut ii a me uiri artem aliquam sub breuitate poscerent, qua ad philosophiam migraturi Dialecticæ sacris initiarentur, qui apud me & amicitia, & beneficiis, & dignitate, plurimum possent: quibusq; probè ipse scirem, altioribus occupatis non id otii esse, vt in pedagogiis per tot annorum curricula, quisquiliis (quas in scholas paucis ab hinc annis Parisienses inuexere) repuerascerent: Horumq; ego neq; beneuolentiam erga me ignorare, neq; authoritatem aspernari, neq; uoluntatem negligere deberem: non potui in re adeò honesta ipso-

rum precibus,uel imperio potius non acquiesce re.eò uel maxime, quòd cũ id ex animo petere, tùm iure a me contendere ii uidebantur,quibus primitias ſtudiorum meorum maioremq́; quam pro captu meo expectationem deberem. Hac ergo mente,eo tempore quo ſcribendi neminem, legendi ſatias capere omnes compertum eſt,auſus ipſe ſum cunctorum in me oculos conuertere, non quidem, quod aut ingenio ualere, aut iudicio excellere, aut eruditione aliquid deniq; præ cæteris me eſſe ſomniarem, abſit a Chriſtiano pectore ſuæq́ue imbecillitatis conſcio Thraſonica cogitatio: Sed quod unus mihimet ipſe uiderer minimo periculo eam exiſtimationis aleam ſubire poſſe, quippe qui neque magnifica pollicitus aliorum de me iudicium fallere uererer, neque priorum operum famam, nunc denuo è tenebris emergens, obſcurare apud poſteros nouo auſu reformidarem. Fuit ergo in animo difficili adeo in re dubiiq́ue exitus primum meum conatum periclitari, tum ut potiora excitarem ingenia, tum quid ipſe de me in reliquis ſperare poſſem alieno calculo exploraturus. qua quidem in re id antiquiſsimum toto operis habuimus decurſu, quod a prioribus illis ſcientiarum coryphæis quaſiq́ue δυναςαῖς curatum, a iunioribus neglectum, doctrinis omnibus noſtra tempeſta-

te

te caliginem non paruam offuderat: id fuit, & ſtylum ita temperare, ut rebus uerba, non res uerbis deſeruire cogerentur: & ordinem eum (quam maxime potui)perpetuo quodam tenore in docendo ſeruare, ut prioribus ſemper ad ſui cognitionem ſequentia indigerent, priora econtra, ea quæ ſequuntur uix uno aut altero loco deſiderarent, quod a quàm paucis poſt egregium illum doctrinarum fontem Ariſtotelem ſit obſeruatum, facilè diiudicet, qui noſtras cum aliorum lucubrationibus, quæ & plurimæ, & doctæ ſanè extant, per otium conferre non grauabitur. quod ſi ſub typo quodam breuitatis, totum laboris noſtri ſcopum noſſe deſideras amice lector, is nimirum fuit, (quo ſummatim unaque comprehenſione dicamus) ut quidquid de hac re ſcitu dignum uſpiam eſſet dictum, methodico ordine, quam minimis tibi paginis digereremus: ita ut neque aliquod neceſſarium thema (quantum mea exiguitas ualuit) omitteretur, neque in iis perſcrutandis, & diſquirendis, quæ uel parum conducere, uel potius officere ſolent, importuni uideremur. quod an aſſecuti ſimus, tuum erit lector iudicare: meum, ex animo optare, precarique, Deum Opt. Max. ut quale quale operepretium hoc conatu facturus ſim, in ipſius gloriam & laudem cedat. Supereſt ut ani-

mum nostrum, industriam, operam, si uel genius desit, quo maxime libri (ut ille ait) uiuere solent, Grato animo accipias, meq; (quod si tibi primitias laborum meorum placere sensero, facturus proculdubio es) ad maiora accendas. Vale.

# DE INSTRVMENTO INSTRVMENTORVM,

## SIVE DE DIALECTICA LIBRI SEX, MATTHAEO, DONIENSI, ORMAZIO, AVTORE.

## LIBER PRIMVS De ſimplicibus.

### De ſcientiis, abſtractione, & ſubiecto totius operis Cap. 1.

PHILOSOPHIA *genericè ſic appellata, ampliſſimo ambitu ſuo ſcientias omnes complectitur, cuius tres ſunt partes: Philoſophia peculiariter dicta, quæ in Phyſicam, moralem, & Metaphyſicam: Mathematice, quæ in Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam & Coſmographiam: Rationalis, ſeu Logica, quæ in Grammaticen, Rethoricen, & Logicen ſtricti dictam, ſubdiuiduntur. Hæ omnes vno nomine ſcientiæ gaudent: eſt autem ſcientia rei alicuius per cau-*

*ſas*

*fas cognitio: Scire enim est rem perfectè cognoscere, Perfectam autem & veram cuiuspiam notitiam adipisci sine causarum præcognitione est impossibile. cum enim veritas rei nihil aliud sit quam esse rei, inde fit, vt sicut res in essendo pendet à causis proprijs, ita & in cognitione: vnde sententia trita, sicut res se habet ad esse ita ad cognosci siue ad veritatem. atqui singularia infinita cum sint ab infinitisq; ferè proinde pendeant causis, sciri minime possunt: restat ergo vt scientia omnis circa vniuersalia versetur: cum autem quæcunq; à parte rei sunt, singularia sint, vniuersalia ab intellectu fieri necesse est: à quo fiunt nimirũ per abstractionem: Estq; abstractio separatio alicuius ab aliquo. abstractio ergo vniuersalis siue qua vniuersale fit, nihil aliud erit quam separatio quædã ab intellectu facta illius quod cõmune est in aliquo, ab eo quod singulare est: verbi gratia Video Petrum & Paulũ in hoc conuenire, quod mouentur, quod sentiunt, quod discurrunt: Video etiam in hoc differre quod Petrus est niger, naso simo, oculis paruis, & Paulus econtra: considero ergo illa quæ ambobus sunt communia, non considerans ea quibus contrahuntur & singularizantur vt differant, & sic formo hunc vtriq; communem conceptum, homo. Atqui abstractio hæc vniuersalis est triplex, prima namq; solum abstrahit à singularibus, seu à materia singulari, non à motu neq; à materia communi, & hæc abstractio (vt sic loquar) parit Physicam: quæ cum non Petri naturam*

*turam sed hominis in communi contempletur, illam tamen carneam, quantam, & materialem, considerat. Secunda abstractio addit aliquid amplius, abstrahit quippe res in materia & motu existentes, à materia & motu, vt ostendunt scientiæ Mathematicæ, quæ licet de quantitate quæ semper aut alba aut nigra aut ferrea aut lignea est, agant: agunt tamen de illa, ac si nec motum nec materiam haberet. Tertia non solum à singularibus, à materiaq; & motu, sed & ab esse abstrahit, vt scientia omnis rationalis: quæ quamuis de rebus tractet, non tamen de eis disserit vt sunt, sed vt ab intellectu considerantur. atqui cum duas considerationes habeat intellectus de rebus, vnam & primam vt res in se sunt inter seq; conueniunt ac differunt, hanc primam intentionem iuniores vocant, de eaq; agunt omnes reales scientiæ nomen inde sortitæ: secundam verò quam & secundam intentionem appellant de conceptibus quos erga res habet: de hac totus nobis futurus est sermo. Prima nanq; intentione intellectus cum conuenientiã naturæ inter me & Petrum intueatur, humanitatem intelligit: deinde verò iam in se reflexus, cum conceptum humanitatis Petro & Paulo conuenire, equinitatis Faëllo & Brunello similiter percipit, hunc conuenientiæ siue cõmunitatis modũ, speciẽ denominat: quod est merum opus intellectus. Ex his facilè venari licet, subiectum, obiectum, seu materiam, huius scientiæ esse ens rationis siue intellectus. Quarta alia abstractio quæ ad*

*ad Metaphysicam facit, quia potius est rei quam intellectus, cum sit separatio à motu & materia secundum rem, qualis est in intelligentijs, missa à nobis hic fiet. Diximus ergo quotuplex sit Philosophia, quid sit scientia, & quomodo acquiratur. scilicet per abstractionem, quid & quotuplex sit abstractio, subiectumq; operis assignauimus.*

## De diuisione totius operis Cap. 2.

*OStendimus superius quo pacto Logice circa opera uersetur intellectus: cumq; ea in duplici sint differentia (aliud enim est circa simplicia, aliud circa composita: illud vocatur simplicium apprehensio, hoc compositio & diuisio,) duplicem etiam Dialecticæ partem esse oportebit: alteram quæ de prima agat, cui nos primum hūc dicauimus librum, Aristoteles eum qui de Prædicamentis, adiecit tamen illi Porphyrius suum de Prædicabilibus: alteram de secunda: quæ in duas iterum subsecatur, iuxta duos compositionis modos, est enim compositio simplex, de qua & Aristoteles & nos in secundo agimus libro, est & compositio composita, quæ alias argumentatio dicitur de cuius præcipua parte nēpe Syllogismo reliqui Dialectices libri conscripti sunt.*

## De modo procedendi. Cap. 3.

*ET partes quidem artis huius sic se habent: quis eius finis iam nunc dicendum, ne frustra in ea laborare*

*laborare videamur. Est ergo huius scientiæ duplex finis, alter illi cum omnibus alys communis, alter sibi peculiaris & natiuus. ille in vniuersum veritatis est inquisitio, hic vero ad illum directus & illi seruiens scilicet argumentatio: quæ cum ex propositionibus componatur, hæ ex terminis, & simplicibus, tanquã ex partibus & causis, opus est per hæc ad illam progredi: tum quia causæ, tum quia simplicia & partes. Diximus enim iam & Logicen scientiam esse, & scire esse rem per causas cognoscere, id est ex cognitione causarum in rei cognitionẽ deuenire. & præterea ordo hic nobis à natura est præstitutus, vt à notitia simplicium & partium in eorum notitiam quæ ex his fiunt veniamus. & (vt hoc propter neotericorum importunitatẽ attingamus) cum conceptus mentis alio quam vocis signo nequeamus exprimere, de vocibus & nominibus, vt explicant qualitates ab intellectu rebus & earum conceptibus impositas, agendum est nobis: verba nimirum ad conceptuum explicationem (de quibus disserit Dialectice) quantum licuerit, referentes: ita vt de illis quatenus huic nostro deseruient instituto verba faciamus. Et hactenus in sex hos libros præfatum nobis sit.*

## De simplicis diffinitione & diuisione. Cap. 4.

*VOcis ergo sicut & conceptuum simplicissima pars dictio seu terminus est, qui sic diffinitur, seu*

*ſeu quod pro nunc idem ſit explicatur: eſt enim diffinitio (groſſo modo vſq; in ſuum proprium locum exponentibus) rei vel nominis elucidatio. Terminus eſt vox ex hominum inſtitutione ſignificans: qui in ſingularem & communem diuiditur. ſingularis dictio eſt in præſentiarum quæ rem indiuiduam ſignificat: indiuiduum verò cuius proprietatum collectionem non licet in alio reperire, vt Petrus. Communis, qui vniuerſalem naturam deſignat: Vniuerſale quod de pluribus prædicatur, vt, homo, de Petro & Paulo: Prædicari, verè & affirmatiuè dici, ſic, Petrus eſt homo, & Paulus eſt homo. Vniuerſale hoc quincupliciter partimur, in genus, ſpeciem, differentiam, Proprium, & accidens.*

De vniuerſalis diuiſione. Cap. 5.

*EST & vniuerſale aliud quod in pluribus eſt, vniuerſaleq; primeintentionaliter ſeu pro ſubſtracto & fundamento dicitur, quod ad noſtram conſiderationem nullatenus pertinet, qui (vt ex præcedentibus patere poterit) non de rebus niſi quatenus operationi ſubſunt intellectus, ac nominibus id ſignificantibus agimus. id verò quod noſtræ conſiderationis eſt vniuerſale (ſecundeintentionaliter ſeu pro formali appellatur, quod (inquam) de pluribus prædicatur. Atqui prædicatio (loquor de directa in qua ſcilicet æqualia de æqualibus, aut ſuperiora de inferioribus prædicãtur) eſt duplex, eſſentialis, & accidentalis: illa eſt in qua aliquid ad eſſentiã rei pertinens*


*nens de ea prædicatur, hæc verò in qua aliquid aduentitiũ & rei iam cõpletæ superueniẽs. Essentialis rursus est duplex, quidditatiua & non quidditatiua: hæc est quæ quamuis de subiecto dicat aliquid quod essentiale sit ei, non tamen eo respondere possumus ad quæstionem factam per, quid, Quidditatiua possumus: quæ & iterum bifariam subsecatur in magis & minus vniuersalem. Accidentalis etiam prædicatio diuiditur in separabilẽ & inseparabilem: erunt ergo prædicationes quinque, secundum quarum numerum sunt & quinque Prædicabilia, id est, verè & affirmatiuè de pluribus dicibilia, seu vniuersalia. Primum est, quod prædicatur (vt diximus) prædicatione quidditatiua magis vniuersali: secundum etiã quidditatiua sed minus vniuersali: illa cõstituit genus, hæc speciem: de quibus duobus simul disputabimus, cum inuicem sint connexa & relatiua.*

## De genere & specie. Cap. 6.

*GEnus ergo est vniuersale quod de pluribus differẽtibus specie quidditatiuè prædicatur: Species rursus vniuersale quod de pluribus solo numero differentibus quidditatiuè etiã prædicatur. sit exemplum primi, animal: secundi, homo. Animal enim de equo, cane & homine dicitur, ita vt interroganti quid est homo aut equus, animal esse rectè respondeamus: homo autẽ & equus prædicantur etiã, ille de Petro & Paulo, hic de Faëllo & Brunello, in, quid, modo supra explicato: at Petrus à Paulo &*

*Faëllus*

*Faellus à Brunello solo numero, id est, solis indiuiduis conditionibus differunt, homo vero ab equo diffinitione, id est specie differt: quærenti enim diffinitionem hominis aliam assignabimus à diffinitione equi, quod secus est de Petro & Paulo: Animal ergo genus, homo verò species rite vocabitur. At genus duplex est quemadmodum & species quod hoc exemplo patebit.*




*Aliud enim est genus summum, aliud subalternum: summum est supra quod non est aliud genus, & quod genus cum sit nullo modo est species, vt substantia: Subalternum vero, quod cum respectu inferiorum sit genus, respectu tamen superiorum est species, vt corpus quod respectu substantiæ est species,*

*cies, respectu autem viuentis & reliquorum est genus, ita etiam & inter species alia est specialissima seu vltima nempe quam supra diffiniuimus, vel quæ species cum sit nullo modo est genus: vt homo. alia subalterna scilicet quæcunq; generi cuilibet subijcitur in linea recta, & de qua genus quidditatiuè prædicatur, item quæ cum respectu superiorum sit species respectu inferiorum est genus, vt viuens. ex quibus deducitur in diffinitione generis speciem accipi pro specie subalterna: infertur etiam genus subalternum & speciem subalternam semper coincidere.*

De triplici differentia. Cap. 7.

*CVm in qualibet re duo præcipuè sint consideranda, scilicet, & id quod res in se est, et id in quo ab omnibus alijs differt, primum præstāt genera & species: alterum verò tria reliqua vniuersalia. tribus enim modis aliquid differt ab altero, secundū tres differentiarum gradus. differt enim vnum ab alio accidenti separabili, & hæc differentia cōmuniter dicitur, & constituit quintū prædicabile accidentis: quia facit differre accidenti cōi, vt me albū à te rubeo: differre secundo potest vnum ab alio accidenti inseparabili seu proprio, vt ego risibilitate differo ab equo: atqui hæc differentia propria differre dicuntur: & quartum vniuersale constituunt. Tertio aliquid potest differre ab alio, aliquo essentiali, vt homo essentialiter differt ab equo ratione, rationale ergo differentia hoc tertio modo erit: quæ & proprijssima*

*appellatur, & constituit præsens prædicabile, quod sic diffinitur: differentia est vniuersale quod de specie seu speciebus in quale quid prædicatur. nam vt interroganti quid sit homo, animal respondemus, ita percontanti quale animal, id est, quale quid, rationale dicimus. ita vt tertiam prædicationem essentialem nō quidditatiuam efficiat: vt supra dictum est. Huius differentiæ duplex est munus: & diuidere genus à quo diuisiuæ, & constituere speciem à quo constitutiuæ dicuntur, quod in figura præcedenti patet: omnes autem vno nomine à nobiliori & magis proprio munere quod est speciem complere specificæ dicuntur. Post hanc propriissimam differentiam sequitur differentia propria quam quartum prædicabile efficere diximus, quod proprium dicitur: quod cum quadrupliciter dicatur scilicet, quod soli, & si non omni speciei, vt esse Geometram: omni, sed nō soli, vt esse bipedem homini: soli & omni, sed non semper, vt canescere: & demum quod soli, omni, & semper (vt risibile homini) competit: hoc vltimum quod & ideo quarto modo proprium dicitur est quod quærimus. Estq; vniuersale (vt proportionabiliter definiam) quod de aliqua specie sola, omni, & semper prædicatur: quod & conuertibiliter non essentialiter prædicari dicitur. reliqua differentia est quam communem nuncupant & constituere quintum prædicabile asseruimus quod est accidens. Est siquidem accidens vniuersale quod verè potest dici & nō dici de re eius essentia integra permanente, seu quod ad esse & abesse rei potest præter subiecti corruptionem. Quod diuiditur in separabile*

*rabile & inseparabile, separabilis exemplum est albedo mea: inseparabilis albedo cygni, vtpote quæ nisi per intellectum nequeat ab eo separari. atq; ideo loco de ly, præter subiecti corruptionē, (quæ Aristotelis verba sunt) substituimus nos præter essentiæ rei corruptionem: nam licet nigredo à coruo nequeat illo viuente secerni, salua tamen eius essentia & diffinitione, possum ego per intellectum ipsam ab eo separare, considerans naturam corui non aduertens ad colorem, quod in risibilitate secus habet: nam licet hæc de essentia hominis non sit, ab illa tamen necessario fluit, & ita posita causa scilicet essentia, necessariò ponitur effectus. Sed hæc altioris sunt negotij. Constitui: ergo Prædicabile hoc, quintam prædicationem quam accidentalē separabilem appellabimus: sicut præcedens quartam: si aduerteris quod illic separabilem & inseparabilem ad intellectū retulimus, hic ad rem. Differunt tamen hi tres differentiarum modi secundū quos tria vniuersalia enumerabimus, quoniam communis & propria faciunt diuersum per accidens, proprijssimæ verò differentiæ diuersum per se & aliud: nam cū dico ostenso Petro quòd est alius à Iohanne, verum dico, differunt enim multis accidentibus: at cum dico est aliud à Iohanne, id est, aliæ res per essentiam & diuersa per illam (id enim denotat illud pronomen substantiuè tentum in neutro genere) falsum dico, non enim essentialiter differunt, cum vnamet natura specie sit in vtroq;. Et hæc de quinque vocibus prædicabilibus.*

## De æquiuocis vniuocis & denominatiuis. Cap. 8.


*Diuisimus superius simplicia in singularia & cõmunia siue vniuersalia, singulare tanquã ad nos non pertinens per transennam finiuimus: de vniuersali autem pro rudiorum captu abunde disseruimus: hanc igitur diuisionem exequuti ad aliam transeamus. rursus enim ex simplicibus alia sunt æquiuoca, alia vniuoca, alia denominatiua. æquiuoca dicuntur quorum nomen est commune pluribus, res verò secundum tale nomen significatæ diuersæ: vt canis, latrabile animal, & canis, stella, quæ vnum commune habetur nomen, diuersas tamen in se res significans. atqui æquiuoca subdiuiduntur in æquiuoca à casu, ea nempe quæ duabus impositionibus casu factis significare habent diuersa: & hæc omnino à scientiarum cõsideratione excluduntur nisi prius distinguãtur. & æquiuoca à consilio quæ & analoga, sunt autem quæ nomen quidem commune habent, significant tamen plura, nec omnino diuersa nec omnino eadem, sed pro portionem & habitudinem aliquam inter se habentia: exemplum primi, liber, pro homine libero & arboris cortice: exemplum secundi, ridere in homine, & in prato: ridere enim in homine lætitiæ est signũ, in prato lætitiam inducẽs viriditas: & propter hanc proportionem consilio factum est vt eadem voce significarentur. demumq; analoga illa omnia sunt quecunq; non æquè conueniunt omnibus à se significatis: & vt in summa dicam quæcunq; nec æquiuoca à*

*casu sunt, nec vniuoca. sunt autem vniuoca quorum & nomen & res secundũ tale nomen significata sunt omnino eadem, vt homo de Petro & Paulo dictus. Denominatiua verò illa dicuntur quæcunq; ab aliquo vno habent nominis appellationem, à quo nimirum sola terminatione seu casu differunt: vt à iustitia iustus, à fortitudine fortis. Suntq; in denominatiuis tria consideranda, denominans, denominatiuum, & denominatum: primum, id est, à quo sumitur appellatio, vt iustitia: secundum est quod supra diffiniuimus, vt iustus: tertium verò res seu subiectum denominantis, vt Petrus qui est iustus, quia subiectũ iustitiæ est. primum vocatur abstractum secundum concretum.*

De secunda intentione. Cap. 9.

*HIs ergo præiactis, cum ad logicum pertinere dixerimus de omni ente quatenus secundæ substat intentioni disserere, oportet iam ostendamus quo pacto quæcunq; sunt illi subijciantur. quod vt exequamur, aduertendum imprimis, quod quidquid est, aut substantia aut accidens est. substantiarum, aliæ dicuntur de subiecto, & in nullo subiecto sunt, vt substantiæ vniuersales, quæ secundæ sũbstãtiæ dicuntur: aliæ verò nec in subiecto sunt, nec de illo dicuntur, vt substantiæ particulares, quæ & primarũ substantiarum nomine gaudent. at accidentium, alia sunt in subiecto, & de illo dicuntur, vt accidentia vniuersalia: alia sunt quidem in subiecto, de eo tamen non dicuntur, vt accidentia singularia. Dico autem esse in*

*ſubiecto, id quod in aliquo eſt non vt pars, ſed ita vt nequeat eſſe ſine eo in quo eſt: vt albedo in Petro. Per dici verò de ſubiecto, intelligo prædicari de inferiori quidditatiuè, ſeu in linea recta, quod idem eſt: nec plures conbinationes ſunt poſſibiles.*




*Eſtq; hic iam facilè videre quo pacto generatim ſubſtantiam & accidens, omnia nempe entia ad vniuerſalitatem & particularitatem quæ ſecundæ intentiones ſunt, retulerimus: atq; adeo ineſſe & nõ ineſſe ſubiecto, quæ paſſiones eorum reales & primeintentionales ſunt, ad dici & non dici de ſubiecto, quæ eorundem ſecundeintentionales proprietates ſunt, comparauerimus: poſtea ſpecialius ea exequuturi. dantur etiã de his tales regulæ: Prima, Eorumq; de aliquo dicuntur vt de ſubiecto, quæcunq; de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de ſubiecto. prædicatum voco id quod*

*id quod in recta linea prædicamentali qualem superius depinximus, superius est: subiectum econtra. verbi gratia, quia animal dicitur de homine vt de inferiori, viuens & substantia & quidquid supra animal fuerit, diciturq; de eo, dicetur & de homine: fundatur autem hæc regula in communi illa animi conceptione quæcunq; conueniunt vni tertio cõueniunt & interesse. Secunda regula, Diuersorum generũ quorum neutrum sub altero ponitur, nec ambo sub aliquo tertio, non possunt eædem esse differentiæ neq; per consequens species. loquor enim tam de differentijs diuisiuis quam de constitutiuis.*

## De prædicamentis in communi. Cap. 10.

*HIs constitutis quoniam nõ semel iam ostendimus ad logicum pertinere de omni ente agere vt sub consideratione cadit intellectus, & in præcedenti capite id quo pacto fiat ostensum est: operepreciũ iam est exactius quæcunq; sunt, ad certa quædam genera incomplexa seu simplicia & vniuoca supremaq; reducere, vt in promptu facile omnia quæ ad nostrum negotium faciunt, habere possimus: in hoc enim, quid simplex esset, quid genus, quid vniuocum, edocuimus. nam licet vno entis nomine significentur & comprehendantur omnia, id tamen nec vniuocè nec genericè: ratio enim entis quæ est, esse, substantiæ quidem per se & principaliter conuenit, at accidentibus quasi secundario & per ipsam substantiã, quod analogis competere diximus. aduertendum etiam est*

*quod cum autore Aristotele quod fit, quodq; potest tantùm eße, nondum sit: inde nec motus cum semper sit in fieri, nec priuatio cum sit defectus eius quod potest eße, hic connumerantur inter entia. ex quibus liquet nos rectè quæcunq; sunt ad substantiam, & accidens, redegisse. at verò accidens mea quidem sententia non magis vniuocè omnia accidentia significat, quam ens omnia entia: nam cum accidentis ratio sit inhærere substantiæ, certè quæ intrinseca illi sunt, perfectius inhærent quam extrinseca: quia & hæc non insunt, nisi quia illa insunt, vt infra dicetur. vnde neceße est accidens analogum esse, atq; ideo adhuc subdiuidendum, donec ad alia deueniamus vniuoca & generica, qualia sunt nouem suprema accidentium genera, & vnum substantiæ. nam quidquid est, aut est substantia, hoc primum genus: aut intrinsecè in illa, qualia tria subsequentia: aut extrinsecè vt sex reliqua: sunt deniq; omnia decem, scilicet, substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, vbi, quãdo, situs, actio, passio, habitus. Dicuntur autem prædicamenta quia ab vnoquoq; eorum dialectice seorsum deducit ordinem & seriem quinque prædicabilium, scilicet, generis, speciei, &c. id enim designat prædicamentum. de quibus iam sigillatim aggredimur dicere, & primo de aliorum omnium fundamento.*


De substantia. Cap. II.

S*Vbstantia ergo (non ea acceptione vniuersali qua essentiam cuiuslibet rei significat) sed ut primum prædica-*

*Prædicamentum constituit: est primum uniuscuiusque subiectum per se existens: diuiditurq; in primam & secundam, vt supra insinuatum est. Substantia prima dicitur indiuiduum huius prædicamenti: Secunda verò eiusdem genera & species in recta linea disposita; & hæc quidem vtraq; ponuntur directe in hoc prædicamento: differentiæ autem substantiales ad latus. vtq; omnia hæc patefiant, subijciemus & hic & in reliquis prædicamentis arbores seu tabellas singulas, omnia prædicabilia in qualibet digerentes, ita vt post genera speciesq; & differentias, latera extima propria quarti prædicabilis occupent: nam ea quæ quinti sunt, scilicet accidẽtia breuitati studentes omittemus, tum quia innumera sunt, nec ad artem redigi possunt, tum quia perspicuũ manebit id quod nec genus, nec species, nec differentia, propriumve fuerit, accidens esse debere. quo labore efficere curabimus ut prædicamentorum ars à non paucis aut neglecta, aut non intellecta, præ manibus possit haberi. Cum ergo genera & species ac differentiæ huius prædicamenti ex arbore suprapositа pateant: Propria tantum quarto modo (De his enim semper loquimur) percurremus. Est ergo proprium substantiæ in subiecto non esse, ad modum quo cap. 9. exponebamus: quæ proprietas ex diffinitione patet, si enim per se substantia existit, non vtiq; in alio. aliud etiam propriũ est eiusdem mutari in contraria, idest, sine sui mutatione susceptiuam esse contrariorum: Petrus enim idem permanens potest mutari de albo in nigrũ quæ sunt contraria. Restat iam Arborem ipsam subijcere.*

*In qua*

*Genera & ſpecies.*




*Indiuiduum.*

*In qua*

*In qua vt aliquid afferamus noui, cum superuis ipsam vsq; ad hominem perduxerimus, alia via nunc procedẽdum, vt licet videre. Sciendũ tamen est neq; in hoc prædicamento, nec in reliquis directè quicq̃ poni præter genera & species indiuiduaq; : sola enim ea significant res prædicamenti completas, reductiuè tamen ponuntur partes illorum tam physicæ & integrales quam metaphysicæ: dico autem physicas materiã et formam: integrales, caput, pedes, &c. metaphysicas, differentias. Propria verò non ponũtur vllo modo vbi eorum subiectum: et ideo in singulis assignabimus ubi ponantur. Hic ergo, suscipere contraria, de Passionis est prædicamẽto vt videbimus: at reliquum, cum sit modus essendi per quem ccu per differentiam ens diuiditur, extra prædicamenta est, ut in sufficientia illorum dicetur. Nota etiam quod quia differentiæ essentiales nobis vt in plurimum sunt ignotæ, vtimur proprijs loco earum. Fruticem scio non satis latine significare fructuosam arborem sed desunt vocabula ad plurima, & vtimur exempli causa ascititijs.*

## De quantitate. Cap. 12.

DE Substantia, quæ Logico sint satis commentati iam sumus: plura quippe de ea dicere ad metaphysicos pertinet. meminisse autem oportet, nos de prædicamentis eatenus tantum agere (vt sæpe repetijmus) quatenus secundæ intentioni deseruiunt: prædicationi, scilicet & subiectioni. diximusq; satis

quo

*quo pacto reliquis accidentibus subiectum sit, deq; ea reliqua prædicentur, cumq; ea de causa de ea primũ egerimus, secundũ eundem ordinem ad quantitatẽ nobis iam est transeundum, vtpote quæ ita de substantia prædicatur, vt reliqua etiã omnia de illa prædicẽtur. Quantitas ergo est secundum quam substantia dicitur quanta: quæ diffinitio explicat naturam prædicationis quantitatis de substantia, cum id modo non solum in ea, sed & in reliquis accidentibus, tantum attendamus. at quia diffinitio hæc subobscura uidetur dicatur à nobis, quantitas accidens esse per quod habeat substantia, vt possit diuidi & extendi locumque occupare. est autem duplex continua, & discreta: illa est cuius partes copulantur ad vnum terminum communem, vt linea, voco autem terminum communem, qui idem est vtriusq; partis: vt lineæ vtramque medietatem copulat idem punctum, quod si eam diuidas iam nõ erit continua, aliud enim punctum terminabit vnam partem diuisæ, alind aliam. discreta est cuius partium nullus est terminus communis, ut numerus: nam quinarij & senarij nullus est terminus communus communis, nulla inquam vnitas. Proprietas prima prædicamenti huius est esse mensuram substantiæ. atqui cum omnis mensura sit aut intriseca, aut extrinseca, mensurato, et aut continua, aut discreta: res uerò quæ mensurãtur aut permanentes, aut succesfiuæ: quotq; fuerint mensuræ, tot debeant esse quantitatis species: rerum permanentium mensuræ intrinsecæ et continuæ sunt, linea, superficies, & corpus. succesfiuarum extrinseca & continua tempus, rerum verò*

*permanentium*

*permanentiũ discreta numerus: successiuarum oratio: ambæ vt discretæ ita intrinsecæ. nam cum proprietas alia quãtitatis sit secundum eam longum aliquid vel breue dici, orationéque syllabas habeat longas & breues, neq; syllabæ ad vnum terminum communem copulentur: tum quantitas, tum discreta erit: tot ergo quantitatis species erunt. solet his addi locus, sed certè (quod propter inueteratam grauissimorum Autorum opinionem uereor asseuerare) non video quo modo locus cõstituat distinctam speciem à superficie, cum omnium confessione nihil aliud sit quam superficies vltima siue extima corporis continentis: at in superficie neq; esse extimam neq; intimam, neq; esse continentis neq; contenti speciem variat. quod si aliquid aliud peculiare sibi vendicet præter in illa diffinitione contenta, tunc peculiare habet etiam Prædicamentum, Vbi, vt ibi latius prosequemur: relinquo id tamen meliori iudicio decernendum. Proprietas denique tertia quantitatis, æqualitas & inæqualitas, magnitudo & paruitas, & reliqua huiusmodi. Notandum tamen quod hæc sunt propria quarto modo, disiunctim, non seorsim sumpta: ita quod de qualibet re quanta verum sit dicere quod sit magna vel parua, non tamen quod sit magna: & simile iudicium est de reliquis eiusmodi: quæ omnia sunt de prædicamento ad aliquid, vt iam modo fiet manifestum. Sciendum etiam ꝙ quando enumerantes quantitatis species aliquas extrinsecas diximus esse, noluimus dicere esse accidentia extrinseca cum sint veræ quantitates, sed in genere mensuræ extrinsecas esse, nẽpe mensurato.*

*De loco*

*Propria* *Genera & species.* *Propria*




*Indiuiduum.*

*De loco autem quid dicendum sit viderint qui speciem quantitatis eum arbitrãtur, eo tantum ni fallor quia mensura quædam est: ego enim & quia omnino extrinsecum eum censeo, & quia per accidens mensura est, ab hoc prædicamento libenter eum ablegauerim, nisi sub superficie non qua locus, scilicet continens, sed qua superficies est ratione ponatur. nam ratio quæ sic opinantes maximè mouet est, quod locus habet continuitatem, & continuum est species quantitatis:*

*titatis: sed ea soluitur, inspiciendo locum de se continuitatẽ non dicere, sed per accidens: nam locus meus partim est superficies aeris partim terræ: atque ideo in methaphysicis, nimirum vbi exactuis Categorias exequitur Aristoteles, eius non meminit inter species quantitatis. Simili typo poteris & per discretam quãtitatem arborem ordinare: & hæc de quantitate.*

## De qualitate. Cap. XIII.

*Consequens iam est vt ad tertium genus transeamus: et quamuis hic locus prædicamẽto: Ad aliquid, soleat dari, nos in eodem semper manentes instituto, vt methodicè procedamus, de qualitate prius (tùm ut de intrinsecis absolutis sermonem simul & semel habeamus, tùm quia notior nobis est) trademus. Qualitatem sic definit Aristoteles, qualitas est qua substantia dicitur qualis: at quale secundũ ipsum tripliciter sicut et qualitas potest sumi. cũ enim in vniuersum significet modum se habendi rei, aliquandoq; ille modus sit substãtialis, vt est differẽtia essentialis, pro illa aliquando sumitur: omne itẽ accidens modus sit se habendi substãtiæ, qualitas in uniuersum pro omni accidente usurpatur, et qualis hoc modo à quolibet accidente denominabitur substãtia: tertio tamen (inquit) et propriissimo modo qualitas designat rẽ huius prædicamenti peculiaris: Atq; hactenus Aristoteles, & huius interpretes. vnde certè non video quo modo colligi possit quid sit qualitas: nã si dicas vt omnes hi respondent quod omne accidens huius prædicamẽti, erit*

*ti, erit profectò petitio principij id ipsum enim ego interrogo. Atqui ipse fateor me hic diu hæsisse, neque enim aut hic, aut in Metaphysicis quicquã quod mihi faceret satis inuenire potui: longa tamen meditatione quod subiungam mihi visus sum percepisse: & ne te demorer amice lector, breuiter & perspicuè qualitatem ego sic definio. Est qualitas modus se habendi substantiæ, accidẽtalis, intrinsecus, absolutus, ex seq; indiuisibilis. totum illud modus se habendi substantiæ accidentalis, communi illi est cum reliquis nouem generibus, per quod ab ea excluditur differentia essentialis substantiæ: intrinsecus ad excludenda sex genera vltima: absolutus vt distinguatur à Relatione, seu Ad aliquid: ex se demũ indiuisibilis, ad ecxludẽdam quantitatem, quæ non solum ex se diuisibilis est, sed ipsamet ratio diuisibilitatis, vt ex diffinitione nostra cõstat. hinc patet, cum huiusmodi modus quadruplex sit, quatuor etiam esse species seu genera subalterna qualitatis. aut enim modus hic sumitur in ordine ad propriam rei naturam, & sic constituit habitum & dispositionem, quæ licet duæ sint distinctæ species, ponuntur tamen loco generis vtranq; sub qualitate cõplectentis, quod nomine caret: estq; habitus qualitas perficiens vel destruens naturam sui subiecti difficile tamen mobilis ab illo, vt febris ethica, scientia, virtus, &c. Dispositio vero eandem perficiens vel destruens facile tamen mobilis ab illo, vt pulchritudo, opinio, ira, &c. aut ille modus respicit principium actionis vel passionis, & constituit secundam speciem etiam bimembrem eadem ratione, quæ dicitur naturalis*

*ralis potentia & impotentia. estq; naturalis potentia facultas naturalis ad agendum vel resistendum: impotentia vero difficultas circa eadem. exemplum primi, intellectus, uires, exemplum secundi, mollities, imbecillitas. aut sumitur ille modus in ordine non ad principium, sed ad finem actionis vel passionis, & tunc facit tertiam itidem speciem bimembrem, scilicet Passionem & Passibilem qualitatem. Passibilis qualitas illa est, quæ ex alteratione aliqua corporali siue spiritali prouenit difficileq; mouetur à subiecto. vt sunt omnes animi affectiones & omnia seusuum obiecta. Passio verò est qualitas etiam ex ijsdem causis consurgẽs sed facile mobilis à subiecto, vt rubor ex uerecundia, iracundia ex subita passione animi. Denique si modus ille se habendi substantiæ sumatur in ordine ad quantitatem quartam speciem eadem de causa binominem etiã constituit, scilicet formam & figuram: estque tam figura q̃ forma, quæ termino, seu terminis clauditur secũdum Euclidem. Differunt tamen quòd figura dicitur de factis ab arte, forma verò de naturalibus quidquid alij sentiant. Vtque solitum ordinem sequamur, proprium huius prædicamenti est similitudo & dissimilitudo, nam qualitate similia dicuntur quæcunque eandem habẽt qualitatem: vnde regula Peripatetica, vnum in substantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate vero simile, id est ea, quæ eiusdem substantiæ sunt, genere aut specie eadem sunt: quæ eandẽ quantitatem habent nempe tricubitam, æqualia: quæ eandem qualitatem, verbi gratia eandem figurã, similia.*

C Diffe-

*Genera & species.*

*Differentiæ* *Differentiæ*




*Indiuiduum.*

*Euenit nobis in hoc prædicamento quod & ferè in omnibus aliȷs, cogi scilicet vt differentia essentiales nobis ignotas per propria quarto modo circunloqueremur. Ad hæc cum nullum nomen hactenus ab Authoribus receptum, quo significetur genus immediatum ad passiones & passibiles qualitates suppeteret, affectionis nomen vsurpauimus, nouè quidem, fortassis tamen non omnino insulsè, aut barbarè, neq; nimis licentiosè, exemplum Ciceronis sequuti qui in philosophia morali vocabula plurima, quæ in suum*

*vsque*

*vsque tempus non habebantur, inuenit. Posuimus etiam colorem loco generis quod omnia visibilia etiã lucida complecteretur, imitati Aristotelem, qui id ipsum in secundo libro de anima prior fecit. proprium huius prædicamenti ad sequens pertinere iam videbimus: quare & de qualitate ne verbum amplius.*


## De ad aliquid. Cap. XIIII.

*LOcus hic secundum legitimum ordinem actioni et passioni debebatur, quippe supra quas maxime relationes fundantur. vt tamen pede quo cœpimus omnia accidentia intrinseca semel percurramus, ordinem quoq; prædicationis sequuti, de Relatione prius dicemus. cumq; omne æquiuocum prius distingui debeat quam diffiniri, relatioq; eiusmodi sit, distinguere vtiq; eam ante omnia opus erit. est ergo relatio alia realis, alia rationis, hæc nimirum est habitudo quam intellectus & ratio facit inter duo quæ, aut non sunt à parte rei, aut certe à parte rei non distinguũtur, aut licet distinguantur non tamen à parte rei ad inuicem referuntur. vnde & triplex est relatio hæc rationis, alia inter omnino non entia, vt inter Chymeram & Hircoceruum relatio dissimilitudinis, alia inter non entia quidem in re, habentia tamen in ipsa fundamentum, vt natura generica specificave in Petro. & alia inter entia realia, non quidem realiter distincta, vel saltim non realiter relata: exemplum primi, identitas mei ad me ipsum: exemplum secundi relatio scibilis ad scientiã: sed de hac dicendi non est hic locus,*

*erit tamen alibi. At vero realis relatio quam inquirere nunc oportet (neq; enim in prædicamentis alia quam realia entia ponuntur) rursus est duplex, alia secundum dici, secundum esse alia: illa ex se quidem res est absoluta, quæ tamen nisi in ordine ad aliud explicari nequeat, vt esse vestitum: & demum in omnibus prædicamentis talia est inuenire: nam licet eorum naturæ absolutæ sint, nequeunt tamen sine ordine ad subiectum plurima eorum explicari: vt simitas per nasi curuitatem. sed relatio secundum esse ea est, quæ quartum hoc prædicamentum efficit, vocaturq; expressius ab antiquis, Ad aliquid. ea ergo, ad aliquid, siue relatiua secundum esse dicimus quorũ esse est ad aliud se habere. ad cuius intellectum, sciẽdum primum est in relatione omni quatuor esse consideranda, subiectum, fundamentum, ipsammet relationem, & terminum: subiectum, sicut reliquorum accidentium huius etiam est substãtia, est enim id quod à relatione denominatur. fundamentum verò dicitur, id cuius ratione relatio cõuenit subiecto. relatio autem est quædam habitudo, & respectus quasiq; comparatio rei vnius ad aliam. porrò terminus ea res, est ad quam comparatur subiectum, & quã respicit. verbi gratia, paternitas est relatio: qui autem ab ea denominatur pater, est homo, quod dicitur subiectum: ratio quare conueniat homini esse patrem est genuisse, & habere filium, & hoc dicitur fundamẽtum paternitatis, quæ, habitudo est patris ad filium: terminus demum filius est, ad quem refertur & dicitur pater. his cognitis diffinitio est perspicua, ac si diceret, relatiua*

*tiua ea dici quorum esse est referri ad terminum. & hæc sola propriè & simpliciter sunt relatiua: nam ea quæ sunt secundum dici impropriè & secundum dici relatiua sunt, ac demum (vt vno verbo rem adhuc controuersissimam finiamus) hanc potissimam mihi videre videor inter relatiua, secundum dici, & secundum esse differentiam, quod illa quidem referuntur, sed ad subiectum, hæc vero ad terminum potius: nam illorum naturam rectè per subiecta explices, horum minime nisi & terminum exprimas. Proprietates huius prædicamenti sunt, quæ sequuntur: (Scio hic ab omnibus plurimas relationis diuisiones coaceruari quas libenter prætermittimus, & data opera ne rem ipsam obscuram obscuriorem reddamus.) Proprietas ergo prima est, quòd vnum relatiuorum est simul natura, cum reliquo, dico autem esse simul natura, valere ab vno ad alterū essendi consequentiam, & econtra, ita vt neutrum sit causa alteruis, verbi gratia, seruus est, ergo herus est. Secunda proprietas est, dici relatiua ad conuertētiam, id est prædicari vnum relatiuum de seipso, cum geminatione sui correlatiui in obliquo, sic, herus est serui herus, seruus est heri seruus. Tertia quòd sunt simul cognitione diffinitiua, idest non potest vnum cognosci diffinitiuè, quin diffinitiuè cognoscatur, & reliquum. Vnde sequitur quarta, scilicet in diffinitione alterius mutuo alterum poni: verbi gratia, si velim definire patrē nequeo quin meminerim filij, est enim pater qui habet filium: nec filiū, nisi patris, est enim filius qui habet patrem.*

*Genera & ſpecies.*




*Indiuiduum.*


*Et hæc logico de relatione noſſe ſufficiat: diuiſiones enim eius & fundamenta enumerare metaphyſici eſt negotij implexiſſimi, nec pro captu incipientiū. prædicationem enim quam ſolam quærimus omnia relatiua ſecnndum eſſe eandem accipiunt, inq; ea conueniunt: & ideo de his ſit ſatis.*

## De actione & paſſione. Cap. XV.

E*Xacto iam de intrinſecis ſermone ad extrinſeca pergamus: ad quorum intelligentiam prænotandum*

*dum quid ſit forma : quæ pro nunc diffinitur à nobis eſſe , quæ dat eſſe rei . atqui cum duplex ſit, eſſe, vt duplex eſt ens, ſubſtantiæ, ſcilicet, & accidentis, duplex quoque erit forma : ſubſtantialis altera, quæ dat eſſe ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantiale , altera accidentalis, quæ accidentale dat eſſe . His ſuppoſitis, Actio quam quintum prædicamentum ponit Ariſtoteles, eſt forma accidentalis qua ſubſtantia dicitur agens , vt calefactio , à qua ignis denominatur calefaciens . Paſsio verò (quæ ſextum facit prædicamentum) eſt forma accidentalis, quam producit agens, vt recipitur in eo in quod agit , & denominat ſubiectum in quo recipitur, patiens: vt calefactio paſsiua. atque adeo eadem ferè res diſtinctis rationibus & actio eſt vt procedit ab agente, & paſsio vt in paſſo recipitur: verbi gratia, cum ignis aquam calefacit, calefactio vt ab igne eſt dicitur actio, vt in aqua paſsio . Proprium actionis eſt inferre paſsionem , paſsionis verò econtra inferre actionem : dico autem inferre, ideſt valere cõſequentiam à poſitione vnius ad alterius poſitionem: & ideo de ijs ſimul egimus in hoc capite.*

Dñæ. Gña & ſpés. Dñæ.




Indiuiduum.

Dñæ. Gña & ſpés. Dñæ.




Indiuiduum.

De vbi, quando, situ, & habitu. Cap. 16.

*Genera & species.*





*Indiuiduum.*

*Genera & species.*




*Indiuiduum.*

*Genera & species.*




*Indiuiduum.*

*Genera & species.*




*Indiuiduum.*

*VBI, septimum Prædicamentum, est esse in loco, vt esse Salmanticæ, in gymnasio: describitur vero sic, Vbi, est circunscriptio corporis ex circunscriptione loci proueniens. proprium eius circunscribere quantitatem. Quando, octaua categoria, est forma accidentalis quæ ex adiacentia temporis relinquitur, vt eße hodie, esse hac ætate. proprium eius est respicere temporis partes. Situs, nona categoria, est dispositio partium in ordine ad locum, vt sessio. & proprium eius loci partes respicere sigillatim, vt quando temporis. Habitus, demum vltimum prædicamentum, est eorum quæ circa corpus sunt adiacentia: vt vestitum esse, est vestis circa corpus adiacens. proprium, solis animatis competere.*

## De sufficientia prædicamentorum. Cap. 17.

*SIngula prædicamenta pro viribus prætergressos operepretium erit nec plura nec pauciora entia inueniri posse quam quæ ijs decem contineantur demonstrare, quod si fecerimus, constabit sane sibi totum hoc nostri quidquid fuerit laboris. ad cuius euidentiam recolere oportet, omne ens aut per se eße aut in alio: quod per se est vniuoco substantiæ nomine continetur, quod in alio, analogo accidentis: accidens autem in vniuersum est modus quidam se habendi substantiæ. in substantia autem tria sunt consideranda, materia, scilicet, forma & quod ex his resultat compositum, modus autem rei aut est intrinsecus, aut extrinsecus, & rursus aut absolutus, aut respe-*

*ctiuus,*

*ctiuus, ex quibus accidentium, numerus deprehendi facilè potest, aut enim modus ille est intrinsecus & absolutus consequiturq; materiam & est quantitas: aut intrinsecus quidem & absolutus sed qui formam consequatur & est qualitas: cuius signum est quod quantitas in solis materia cōstantibus, qualitas etiam in separatis à materia reperitur, quòd si ille modus intrinsecus fuerit, respectiuus tamen, totumq; compositum consequatur, Ad aliquid, est, siue relatio. Et hi tantum sunt intrinseci modi. qui verò extrinseci consequunturq; materiā sunt quadripartiti: aut enim disponit eam in ordine ad locum & is est, vbi: aut in ordine ad extrinsecus adiacentia & est habitus: aut in ordine ad reliqua extera & est passio: aut disponit partes eius (materiæ inquam seu quantitatis) in ordine ad locum, & est situs. extrinseci verò qui consequuntur formam bipartiti sunt: aut enim sumuntur in ordine ad tempus, & faciunt quando, per formam quippe sumus in tempore: aut in ordine ad reliqua extrinseca & est, actio. & nō incongruè forsan quis dixerit rationem huius diuisionis à numero denario sumi: solertissimus quippe naturæ indagator Aristoteles cum videret non casu fieri posse omnes nationes vsq; ad denarium tantum numerando progredi, neq; vltra vnquā numerum esse excogitatum qui nō ex illo fieret, non abs re, omnia etiam entia ad hunc numerū reducere primus tentauit. Sunt ergo decem suprema, simplicia, vniuoca, interseq; primo diuersa, rerum genera, vnum substantiæ, nouem accidentium. Dixi primo diuersa quia cum differre à differentijs deriuetur*

*deriuetur (quas vtiq; generalissima non habent) & genus nullum quod per eas diuidatur illaq; constituat supra se habeant, improprie differre seu differentia dicuntur, sed primo diuersa: distinguuntur quippe per modos intrinsecos, sic enim appellant quæ loco differentiarum in eorum finitionibus ponuntur.*

## De oppositione. Cap. 18.

*Diximus iam quæ cuiq; horum generum peculiaria essent & germana sigillatim: nunc verò de quibusdam quæ aut omnibus, aut pluribus eorum competunt simul, aut repugnāt, dicendū: vocant hæc iuniores postprædicamenta: sicut vniuoca, æquiuoca et denominatiua antepradicamēta. sunt aūt illa, oppositio, prius, posterius, simul, magis, minus, motus, & habere. Quorum oppositio quadruplex est, relatiua, priuatiua, contraria, cōtradictoria: est autem in præsentiarum, oppositio, duorum contra seinuicem positio. relatiuè ergo opposita sunt quæcunq; mutuo sese respiciunt, ac denique quæcunq; inuicem ad aliquid sunt, vt pater, & filius. priuatiuè vero quæcunq; habitum & priuationem circa idem significant, est autem priuatio propriſſimè dicta, negatio aut carentia rei in subiecto apto nato ipsam habere, secundum eandem speciem, tempus & reliquas circunstantias: vt visus & cæcitas in homine. contraria vero illa sunt quæ maximè distant in eodem genere, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: vt calor & frigus. Cōtradictoriè verò opposita sunt in simplicibus (opor*

*tet enim meminiſſe toto hoc tractatu de his diſſeri) duo, quorum vnum negat quidquid aliud ſignificat: vt homo, & non homo, ens, & non ens. Relatiue ergo oppoſita differunt in hoc à reliquis quod ſola ſe in eodem ſubiecto compatiuntur reſpectu tamen diuerſorum. priuatiua verò triplicia ſunt ſicut & priuatio, quæ primo modo dicitur carentia illius quod natum eſt haberi in tali ſubiecto ſecundum genus non ſecundum ſpeciem: vt cæcitas in talpa. Secundo carentia eius quod natum eſt haberi in tali ſubiecto, ſecundum ſpeciem, non tamen ſecnndum talem circunſtantiam, vt temporis, aut loci: vt canis cæcitas ante nonum diem, & tenebræ in cauernis. Tertio & propriĳſſimo modo dicitur priuatio carentia illius quod, & quando, & vbi, natum eſt haberi ſecundum indiuiduum: quam ſuperius diffiniui. Contraria hoc habent peculiare quod in eodem genere maximè diſtant: vt candor & nigredo ſub colore. contradictoria hoc quod de qualibet re ſeu vera ſeu imaginaria alterum contradictorium verificari eſt neceſſe: vt lapis & non lapis, nam & quæcunq; nō ſunt lapis ſunt, non lapis, & chymera etiam eſt non lapis. prima oppoſitio reperitur in ſolo prædicamento, ad aliquid: ſecunda in omnibus: tertia propriè in qualitate tantùm: quarta etiam in omnibus.*

De ptiori poſteriori & ſimul Motuq;. Cap. 19.

PRius, poſterius, & ſimul dicuntur aut tēpore, aut dignitate, aut ordine, aut conuertendi conſequentia,

*tia, aut natura. tempore vt pater meus prior me est, ego posterior illo, ego & anima mea simul. Dignitate, vt episcopus dicitur prior presbytero simplici, Rex præfecto. ordine vt Grammatica prior dicitur quam Dialectica, & primus scalæ gradus secundo. Conuertendi autem consequentia, prius est quod infertur ab alio, & non infert illud, vt animal homine, & omnia communiora minus communibus: valet enim, est homo, ergo est animal, non econtra. Deniq; prius natura id dicitur quod est alterius causa: vt sol lumine. & proportionaliter, vt diximus de priori, intelligendum est de posteriori, & simul. in solo prædicamento, Ad aliquid non reperitur prius & posterius, nisi ordine, & dignitate: in reliquis omnibus omnia alia est inuenire. Motus species sex pro nunc statuuntur, generatio, corruptio, augmentatio, & diminutio, motus localis, & alteratio. Generatio est motus quo producitur substantia, corruptio verò qua eadem destruitur. Augmentatio est acquisitio nouæ quantitatis, diminutio eiusdem deperditio. Motus localis est acquisitio noui loci. Alteratio vero acquisitio nouæ qualitatis, prima & secunda species reperiuntur in substantia, quamuis impropriè sint motus, sed mutationes potius: tertia & quarta in quantitate: quinta in vbi: sexta in qualitate. Atque ideo dixit Aristoteles ad tria tantum prædicamenta esse per se motum, ad quantitatem, scilicet qualitatem, &, vbi. & quia motus significat rem, vt in fieri, non ponitur in prædicamento aliquo, vt antea diximus: ponitur tamen reductiuè vbi terminus eius: voco*

*autem*

*autem terminum, id quod per motum acquiritur, vel deperditur.*

De magis minus & habere. Cap. 20.

*MAgis & minus sunt excessus, seu defectus alicuius rei: reperiūturq; in qualitate, in actione, passione, & ad aliquid, omnia enim hæc recipiunt magis & minus. quomodo autem id recipiant, non potest nunc explicari, nisi per additionē harum particularū in prædicatione illorū de substantia, est enim substantia, magis aut minus calida, magisq; aut minus calefacit hæc quā illa, & hæc est magis similis illi quam alia. Habere deniq; multis modis dicitur, primo vt significat habere aliquā qualitatem inhærentem, quæ dicitur habitus: & hoc modo speciebus qualitatis est annumerata: alio modo pro habere aliquid corpori adiacens extrinsecus, in ordine ad eius partes, & sic est vltimū prædicamentū, habitus: tertio habere dicitur subiectum quamcunq; formā: quarto vt cōtinens cōtentū, vt dolium vinū: quinto per vim aliquid detinere vt vincula habent homines, columnæ trabem: sexto deniq; habere dicimur omnia illa ad quæ aliquā tantū habitudinē & respectum habemus, vt amicos, vxorem, patrem: licet hi duo vltimi modi improprij sint, saltim quintus, & præter duos primos reliqui omnes in solo prædicamēto substantiæ maximè inueniuntur. illud etiā semel adnotauerim in omnibus prædicamentis accidētiū propriè et formaliter abstracta poni nomina, in solo substātiæ cōcreta: voco aūt abstracta, voces quæ significāt aliquid per modū per se stantis, vt albedo, humanitas, iustitia: concreta vero quibus*

*id ipsum*

*id ipsum in alio significamus vt album, iustũ, hom°: quæ in accidentibus dicuntur commotatiua, vnde duo in significatione alicuius commotatiui veniunt consideranda, scilicet, accidens & subiectum: in albo, verbi gratia, albedo & corpus: primum vocant dialectici significatum formale, nimirum quia omne accidens est forma vt dictum est, secundum verò materiale. Scio hic diuisiones simplicium seu terminorum in infinitum à iunioribus multiplicari, at nos instituti nostri memores ab ijs abstinebimus, quippe quæ alijs disciplinis neutiquā deseruiant, & frustra fiant per plura (vt habet regula peripatetica) quæ fieri possunt per pauciora.*

De nomine. Cap. 21.

*CVm conceptus animæ, similitudines sint rerũ, & voces tam conceptionum animæ notæ, quam rerum ipsarum, vt philosophus ait: tria sanè in ipsis licet simplicibus contemplari, primum res ipsas, deinde illarum simplices conceptus, denique voces simplices, quibus vtraq; exprimimus, & conceptus scilicet & res: de prima consideratione egimus dum ens in decem genera diuisimus, de secunda dum vniuersale in quinque distinximus prædicabilia, restat iam de tertia sermonem haberi. quod vt aggrediamur, simplices voces in tot partes subsecemus oportet, in quot apud grammaticos orationis partes, nempe septem (præter interiectionem quæ à præsenti consideratione tanquā naturaliter significans eycitur) no-*

men, scilicet, verbum, &c. Nomen apud dialecticos nō tam latè patet quàm apud grammaticos, est enim, vox ex hominum institutione significans, sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta: sine tempore (inquam) vt excludamus verbum quod cum tempore significat, vt iam mox videbimus: cuius nulla pars &c. ad excludendam orationem de qua postea: finita, ad excludendum nomen infinitum seu potius indefinitum, id scilicet quodcunq; negatione, præposita profertur vt, non homo: Dicitur autem indefinitum quia illimitatam & indefinitam habet significationem, non homo, enim (vt supra dicebamus cum de contradictorijs ageremus) significat quidquid non est homo, siue illud sit siue non. ad cuius euidentiam sciendum, quòd negatio est duplex infinitans, scilicet, cum virtus eius alligatur termino cui adhæret: negans cum fertur in verbum & totam propositionem: recta, denique ad excludendos casus obliquos nominis, qui apud nos nomina non censentur cum solus rectus pro nomine à dialecticis habeatur.

## De verbo. Cap. 22.

Verbum eandem habet cum nomine diffinitionem, si particulam, sine tempore, in ly, cum tempore, mutaueris, addiderisq;, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota: est ergo verbum vox significans cum tempore ex hominum instituto cuius nulla pars separata significat, finita, recta, semperq; eorum quæ de altero dicuntur nota. reliquas particu-



las

*las in nominis diffinitione explicuimus: significare autem cum tempore est significare actionem aut passionem siue per modum actionis aut passionis in aliqua differentia temporis, scilicet, præsentis, præteriti vel futuri, hæ enim sunt temporis differentiæ. poniturq; hæc particula ad excludendum tam nomen quam reliquas orationis partes præter participium, quod excluditur per illam, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota, id est, iungit prædicatum cum subiecto: nam cum dico homo est albus, ly, est, iungit albedinem homini. finita ad excludendum verbum infinitum vt, non est, non disputat. solet hic scrupulosius quæri reperiatur ne verbum infinitum in propositione, sed non est res tanti momenti vt in ea immoremur, sufficit adnotasse, siue reperiatur siue non idem pollere verbum infinitatum in propositione & negatum, quare cum quæstio sit de nomine de his non plura. recta, denique ad excludenda omnia tempora & modos, præter præsens indicatiui cum suis omnibus numeris & personis: licet & præteritum & futurum eiusdem modi aliquando verbi nomine gaudeant etiam apud dialecticos. estq; verbum duplex, substantiuum quod est ly, sum, es fui: & adiectiuum quale est omne aliud verbum. rursusq; substantiuum verbum aut ante & post se habet nomen, & tunc dicitur tertium adiacens, aut solum ante se & tunc dicitur secundum adiacens, exemplum huius Petrus est: illius, Petrus est doctus. vltimo cum est tertium adiacens, aliquando importat determinatam temporis differentiam, vt cum*

*dico Petrus est disputans: aliquando vero non restringitur ad aliquam determinatam, vt cum dico homo est animal: vbi nolo dicere quod nunc tantum id verum sit, sed quod semper fuit & erit verum: atque hoc vocant summulistæ verbum absolui à tempore: atqui verbum adiectiuum omne exponitur per substantiuum & suum participium de præsenti, vt cum dico, homo disputat, sic, homo est disputans. quod si verbi infinitatio sit admittenda id nempe importabit, negationem ferri tantum in participium inclusum in verbo, vt huius, Petrus non disputat, sit sensus, Petrus non est disputans, verbo negato: & Petrus est non disputans, infinitato. sed hæc barbara sunt. Participium & reliquæ orationis partes eædem sunt apud dialecticos & grammaticos, de quibus in vniuersum dixisse sit satis, participium sub nomine, reliquas vno syncathegorematis vocabulo comprehendi: de quibus omnibus suis locis fusius. dicuntur etiam syncathegoremata aliquando quædam nomina adiectiua vt, omnis, nullus, &c. vt inferius videbimus: & hæc de simplicibus triplici consideratione.*

## Epilogus totius libri. Cap. 23.

*Disputatum hucusq; est quid sit dialectica, circa quæ etiam, quoue ordine versetur, eiusq; partes distinguentes, primam vtiq; de prima intellectus operatione, simplicium nempe apprehensione, agere diximus. atque ita simplicia secundè quidem inten-*

tionaliter in singularia & vniuersalia distinximus. Singularibus omissis vniuersale secundum numerum prædicationum quincupliciter subsecuimus in genus, speciem, differentiam, proprium & accidens: finiuimus præterea, vniuoca, æquiuoca, & denominatiua: diuisimus quæcunq; sunt in substantiam & accidens, vtrunq; in vniuersale & singulare: quibus singulis suas proprietates tam logicas, quam reales summatim adiecimus: prædicandi regulas addidimus. simplicia demum omnia primè intentionaliter in decem vniuoca genera suprema partiti sumus: quorum singulis sua omnia prædicabilia quantum licuit ascripsimus. De oppositis demum de priori, & posteriori, de simul de motu, de magis, & minus, deq; habere, communibus prædicamentorum cōditionibus, deq; iisdem (quatenus per voces quæ signa tam conceptuum sunt quam rerum explicantur) vltimo per vigintiduo cōtinentia capita sermonem protraximus, quibus omnibus suis hanc numeris absoluisse partem nos arbitramur quam de simplicibus generali nomine inscribendam duximus: de complexis seu de secunda intellectus operatione de compositione inquam & diuisione iam iam dicere aggressuri.

# LIBER SECVNDVS DE COMPOSITIONE ET DIVISIONE.

## De oratione & propositione. Cap. I.

P*ARTEM laboris huius nostri haud minimam vtcunq; demensis ad reliquas iam decurrendum, quousq; scopum nobis ab initio præfixum attingamus. Est igitur, complexum seu oratio(vt ordine procedamus)vox significatiua ex hominum instituto cuius partes separatæ significant: vt homo albus, homo disputat. definitio ex superioribus liquet. diuiditur autem oratio in perfectam & imperfectam, perfecta dicitur quæcunq; perfectum sensum generat in animo auditoris, estq; multiplex secundum omnes modos verbi præter infinitiuum, vt, homo disputat, Petre disputa, cum ego disputarem: imperfecta est quæ non generat sensum perfectum, vt Petrus currens, homo simplex: & maximè tales sunt omnes illæ quæ verbo & casu verbi carent. cæterum imperfectis reiectis, inter perfectas indicatiua sola est propositio, diffinitur enim sic:* propositio est *oratio verè vel falsò significans: quod sola indicatiua facit. estq; verè significare, ita rem esse significare sicuti est, veluti, Petrus currit,*

*si sic*

*si sic se res habeat quòd Petrus currat. falsò vero significare est econtra, aliter rem esse significare quam sit, vt, Petrus disputat, si taceat. at extra indicatiuum modum neque verum neque falsum dicimus, sed cum dico, hic homo loquitur, aut loquebatur, aut loquutus est, verum me dicere aut falsum est necesse. cognita propositionis per diffinitionem natura ad species eius primum, deinde ad proprietates descendendum, iam propositionis species duæ sunt, categorica & hypothetica: categorica est quæ constat subiecto, copula, & prædicato, tanquam partibus principalibus: vt homo est animal, equus currit, in prima homo, est subiectum: est, copula: animal, prædicatum: in secunda equus, subiectum: est, copula: disputans, prædicatum. diximus enim supra verba omnia adiectiua ita esse exponenda. prædicatum est quod de alio dicitur, copula dicitur verbum, aut casus verbi substantiui in adiectiuo inclusi vel per se positi qui facit propositionem: quod dicimus vt intelligas semper cum verbo adiectiuo includi prædicatum. Sciendum tamen quòd tam subiectum quam prædicatum duplex est, nempe simplex, & complexum. Simplex vt in supra positis exemplis, complexum vt in his, omnis homo ridet, homo est omne animal, in prima quarum subiectum, in secunda prædicatum complexa sunt. rursus vtrunq; cum est complexum est duplex, nam aut constat nomine & signo tantùm, vt in exemplis supra positis (vocantur autem signa illa adiectiua omnis, nullus, quilibet, hic &c.) aut signo seu signis,*

*& nomine præterea ac obliquo, vt cuiuslibet hominis aliquis equus currit, equus quilibet hominis edit, in his rectus dicitur subiectum enuntiationis, obliquus destributionis, vtrunq; simul faciunt subiectum complexum propositionis, quamuis enuntiatio, pronuntiatum, & propositio apud probatos autores idem sonent. hypotetica propositio est quæ constat pluribus categoricis coniunctione seu coniunctionibus alligatis, de qua suo loco dicemus.*

## De quantitate propositionis. Cap. 2.

C*Ategoricarum, alia vniuersalis, alia indefinita, alia particularis & alia singularis. Vniuersalis dicitur propositio de subiecto communi seu vniuersali, cum signo vniuersali illi præfixo: vt omnis homo sedet. Signum autem vniuersale dicitur nomen aut aduerbium quod copulatiuè, id est, per coniunctionem, &, exponitur, seu resoluitur, verbi gratia ly, omnis homo est animal, significat quòd hic homo est animal, & ille, & reliqui vt infra ostendemus. dicitur autẽ hæc resolutio copulatiua, quia ly, &, per quam fit, est coniunctio copulatiua, suntq; huiusmodi signa vniuersalia quæ & distributiua dicuntur, omnis, nullus, quilibet, quicunq;, quiuis, cunctus, semper, quotiescunq;, vbiq;, & similia. indefinita propositio est quæ habet quidem subiectum commune nullo tamen signo ei adiuncto: vt homo est risibilis. voco & hic & supra terminũ cõmunẽ eum qui plura vniuoce significat. Particularis illa est quæ subiectũ habet cõmune*

*sed*

*sed cũ signo particulari ei adiunƈto: vt, aliquis homo est bonus, signũ particulare est nomen syncategorema quod disiunctiuè, idest per coniunctiones, vel, seu, siue exponitur: verbi gratia, hæc, aliquis homo est bonus, innuit ꝙ hic homo sit bonus, vel ille, vel ille, &c. Sũt tamen huiusmodi signa particularia aliquis, quidam, quispiam, aliquando, alicubi, aliquoties, nonnullus, etc. Singularis demum est illa, quæ subiectum habet singulare, vel commune cum pronominibus hic, ille, & similibus: vt Petrus loquitur, hic homo ambulat. Sunt autem & præter dicta signa aliqua, quæ eò vocantur incompleta, ꝙ nec omnino sint vniuersalia, nec omnino particularia, sed media, vt alter pro vno ex duobus, neuter, vterque. Hæc tamen duo vltima censentur ferè vniuersalia, licet incompleta, primum particulare. Eodem modo ly omnes, collectiuè sumptum, & ly, aliqui, eodem modo incompleta etiam censentur. Sunt denique alia signa, quæ peculiari nomine vocantur modi, & ab eis propositiones modales, vt necesse, possibiliter, impossibiliter, cõtingenter: de quibus seorsum postea habendus est sermo. Notandum tamen ꝙ subiectum propositionis fuerit complexum, & vltra id habeat aliquod signum, id debet ferri in totum complexum, vt propositio censeatur merè vniuersalis, aut merè particularis. ut in hac: omne quod est Deus, vel creatura est bonum, vbi ly, omne fertur in totum illud, quod est Deus vel creatura, & huiusmodi complexum vocatur complexũ acceptum vnica, subaudi acceptione. Si verò non feratur nisi in partem complexi, vt in his, cuiuslibet hominis equus ambulat,*

*animal*

*animal quod est omnis homo sedet, vniuersalitas vel particularitas propositionis pensatur penes terminos in fronte propositionis positos: vnde prima harum est vniuersalis, secunda verò indefinita. & vocatur huiusmodi complexum, cum signum non fertur, nisi in vnam eius partem, complexum acceptum pluribus (subintellige tu) acceptionibus.*

De eius qualitate. Cap. 3.

*PRæterea, cũ propositio sit oratio verum vel falsum significans, & verum, vel falsum dicere, tam negando q̃ affirmando possimus, (tam enim vera est hæc, homo nõ est lapis, q̃ hæc, Petrus est homo, et tam falsa hæc, homo non est animal, quam hæc, homo est equus) ideo propositio iterum in affirmatiuam & negatiuam distinguitur, illa est in qua aliquid dicitur de aliquo, hæc verò in qua aliquid separatur ab aliquo: cum enim dico, Petrus est homo, dico hominem de Petro, cum verò homo non est lapis, separo lapidem ab homine. & cum copula sit duplex, principalis, qua prædicatum dicitur de subiecto, aut separatur ab illo: minus principalis, quæ est quidem pars extremi. (dicuntur autem extrema propositionis subiectum & prædicatum) negatio vel affirmatio propositionis attenditur penes solam principalem copulam, uolo dicere quod si principalis negatur propositio est negatiua, & econtra, vt in supradictis: quòd si minus principalis negatur sola, vt in*

*hac,*

*hac, aliquid quod non est non homo est animal, propositio est nihilominus affirmatiua: et copula complexi extremi, in quo est relatiuum grammaticū, quis, vocatur copula implicationis. Sed & copula principalis est duplex, simplex vt in adductis, mixta vt in hac, homo est & fuit bonus: Petrus est, vel fuit albus, in quibus si vtraq; pars copulæ negatur, aut affirmatur, erit propositio affirmatiua, seu negatiua: si vero pars affirmetur & pars negetur erit mixta propositio: vel dicitur virtualiter negatiua, si inferatur ex purè negatiua, vt hæc, Petrus est vel non fuit albus, quæ infertur ex hac Petrus nō fuit albus: vel virtualiter affirmatiua, quæ infert ex se purè affirmatiuam; vt homo est, & non fuit albus, quæ infert hanc, ergo homo est albus: sed de his plusquam satis. Aduertenda demum est, celeberrima illa Dialecticorum regula de negatione, quæ sic habet. Negatio est malignantis naturæ, quæ quidquid post se inuenit destruit, & eius oppositum ponit; idest negatio sensum semper contrarium reddit ei quem inuenit. Nam quidquid affirmando astruimus, negando destruimus, & tropum propositionis omnino contrarium reddimus; vniuersalem quippe particularem efficimus, & econtra. vnde sequitur secunda etiam regula latinis auribus tritissima, duas nempe negationes affirmare, affirmatiuamque reddere propositionem, tres uero, sicuti unam, negatiuam: & denique quousque aures patiantur, paritas negationum semper affirmat, imparitas negat. Tria ergo cum interrogentur de propositione,*

*quæ,*

*quæ, quanta, & denique qualis sit, ad ea omnia per ea; quæ dicta sunt patere iam poterit responsio. Ad primam enim interrogationem respōdendum categorica ne sit an hypothetica, quas diximus esse species propositionis: Quæ, enim dictio quærit de essentia, & quidditate vt supra habitum est. Ad secundam esse vniuersalem, vel particularem, indefinitam, aut singularem, quæ quantitatem propositionis designant. Ad tertiam deniq; affirmatiuam, vel negatiuam esse dicendum est, quæ qualitatem eiusdem ostendunt.*

## De suppositione. Cap. 4.

*EXactis iam speciebus & proprietatibus propositionis, proprietates extremorum ejus percurrere oportet, quas quidem parua logicalia iuniores vocauere: hæ sunt suppositio ampliatio, restrictio, alienatio, & appellatio. Est ergo suppositio, (vt ab ea ordiamur) acceptio termini substantiui, in propositione, pro re existente, iuxta exigentiam sui verbi. vt in hac Petrus currit, ly Petrus dicitur supponere, si Petrus uiuat, in hac verò, Adam est pater omnium, ly, Adam, non supponit, quia res pro qua accipitur nō existit nunc: supponit tamen in hac, Adam fuit: nam res pro qua accipitur fuit. Et ideo diximus iuxta exigentiā sui verbi, idest iuxta differentiā tēporis quam tale verbum importat. Termini (inquam, substantiui, nam secundum omnes graues et antiquos scriptores, adiectiuum adiectiuè tentum non dicitur supponere. qua definitione sexcentos cauillos credimus rescindi.*

scindi. Suppositio ergo hæc quam ita descripsimus duplex est, propria & impropria: Hæc est acceptio termini pro aliquo quod impropriè significat, vt cum leo capitur pro feroci homine, aut pro effigie leonis: & diffunditur ferè per omnes tropos & figuras quas verborum Grammatici vocant, vt metaphoram, synecdochen, antiphrasin, &c. demum meo iudicio, alienatio (quam quartam extremorum proprietatem enumerauimus) & hæc suppositio impropria coincidunt omnino. Erunt itaq; omnes hæ proprietates (mea sententia) quatuor tantum. Suppositio propria est acceptio pro aliquo quod propriè significat: quæ rursus est triplex, materialis, simplex, & personalis, materialis est acceptio termini pro se, vt homo est nomē, denotaturq; hæc suppositio vt in plurimum per hanc particulam, ly, vt ly, amo est verbum. Simplex suppositio est acceptio termini pro eo quod primò, & per se significat, vt homo est species. Vbi aduertendum, ꝙ homo, & cætera nomina specifica & generica per se non significant, nisi naturam illam genericam & specificam, vt homo humanitatem, in supposito tamen quodcunque illud sit: Petrum verò & Paulum, & alia supposita eiusdem naturæ significāt secundariò, quasi per accidens, quippe per aliud. dignoscitur autem hæc suppositio maximè ex eo, ꝙ semper ferè habet prædicatum secundæ intentionis. Demum suppositio personalis est acceptio pro indiuiduis, siue pro suis inferioribus quidditatiuè, vt homo est animal, Petrus est homo: nota autem huius est, prædicatum talis propositionis conuenire omnibus indiuiduis subiecti,

(voco

*(voco hic indiuidua etiam quæcunque quidditatiuè inferiora,) quod secus est in suppositione simplici. At suppositio hæc personalis diuiditur rursus in naturalem & accidentalem: naturalis est acceptio termini pro omnibus suis suppositis in ordine ad omnem temporis differentiam, vt in hac, homo est animal rationale, quæ dignoscitur, eo quòd semper in ea uerbũ absoluitur à tempore. Accidentalis uero est acceptio pro indiuiduis, aut suppositis in ordine ad aliquã differentiam tẽporis determinatam, ut homo fuit albus, equus currit: accidentalium alia discreta, & est acceptio termini singularis, &c. vt Petrus loquitur, Antichristus erit. Alia communis, scilicet acceptio termini communis, aut solitariè, aut cum signo particulari, & est determinata: ut equus currit, aliquis homo ambulat: aut cum signo uniuersali, & dicitur confusa: quod signum si immediatè adhæserit termino, fueritq; affirmatiuum, aut negatiuum, facit suppositionem confusam distributiuam: ut in subiectis harum, omnis homo sedet, nullus lapis ambulat: Si uerò mediatè, fueritq; affirmatiuum, facit confusam tantum, ut in prædicato huius, omnis equus, est animal: nam si fuerit negatiuum, tam mediatè q̃ immediate sequentes distribuit. Atqui hæ suppositiones confusæ omnes noscuntur maximè per signa à quibus causantur, sunt enim inter signa, (ut supra insinuauimus) alia purè uniuersalia, scilicet omnis, quilibet, quicunque, totus, cunctus, singuli, nullus, nemo, non, nec, quorum quatuor ultima sunt negatiua, reliqua affirmatiua, atque hæc omnia distribuunt*

*terminos*

*terminos immediatos. Alia sunt purè particularia nempe aliquis, quispiam, quidam, faciuntque suppositionem determinatam. Alia sunt signa partim vniuersalia partim particularia, seu ut antea dixi mixta, ut neuter, alter, uterque omne pro generibus singulorum, & hæc faciunt etiam suppositionem mixtam. Alia partim affirmatiua partim negatiua, seu quæ per affirmationem & negationem simul explicantur, ut, contingenter, tantum, & alia similia de quibus suo loco est dicendum. Alia demum sunt quæ signa dicuntur specialia confusionis, quia sola terminos confundant tantum, idest solum faciant supponere confusè tantum: hæc sunt ly, omnes, collectiuè, ly, &, diuisiuè, idest cum non iungit integras categoricas, sed partes unius extremi, ly, promitto, ly, requiritur ly, debeo, bis, &c. ut in hac, uerbi gratia, promitto tibi equum ly, equum, supponit confusè tantum, & sic de cæteris: de quibus ulterius longe plura.*

## De ampliatione. Cap. 5.

*AMpliatio, est suppositio termini in ordine ad plures temporis differentias disiunctim: ut in hac, homo potest esse iustus, dixi disiunctim, idest per coniunctionem, uel, disiungentem terminos non propositiones: uerbi gratia, homo in supra posita supponit pro homine, qui est, uel fuit, uel erit, uel potest esse: ubi ly, uel, disiungit tantum copulas, non propositiones integras. Notandum tamen quòd licet*

apup

*apud Grammaticos sint tantum tres temporis (perfecti inquam de quo loquimur) Differentiæ, Dialectici tamen ad ampliationes quinq; numerant, scilicet præsens, præteritum, futurum, possibile et vltra has imaginabile. quo supposito, octo (vt in compendium omnia redigamus) statuũt regulas ampliationis, quas non certè, vt (meo iudicio) aut veras, aut vtiles proponam, sed potius, vt ostendam, in his potissimã, certissimam, atq; adeo vniuersalissimam regulam esse communem concipiendi modum, et rectum iudicium. Est ergo prima regula verbum præteriti tẽporis ampliat ante se ad id quod est vel fuit: post se verò non ampliat. verbum autem futuri ante se, ad illud quod est uel erit, post se non item: & idem dicunt de participijs illorum temporum. Etenim hanc, Adam fuit albus, dicunt ex eo esse ueram, quia subiectum supponit pro Adam, qui est, uel fuit: prædicatum uero pro solo eo, qui fuit albus. Sed profectò etiam absque hac regula quiuis illam concederet, & ipsi per eam alias concedũt, quæ nemo sanæ mentis ferret audire. aiunt enim hanc esse ueram, senex erit iuuenis: nam senex aiunt stat pro eo, qui est, uel erit senex, & sic ostenso, puero, uerum (inquiunt) est dicere, hic est, uel erit senex, & hic etiam erit iuuenis, ergo per regulã, senex erit iuuenis. & per hunc modum eò procedunt insaniæ, ut non solum stultas, sed & hæreticas concedant propositiones, ut est illa aliqua mater sine miraculo erit uirgo, dicta de qualibet puella. Atque hoc certè odiosam fecit his retro annis Dialecticam, dum ancillam scientiarum, dominis aduersariam, sophistissimi*

*stissimi homines faciunt, & artem naturæ æmulam, & comptricem, ipsi pugnantem reddunt, quæ natura monstrante falsissima quisque cernit, ac respuit, vera esse per artem conantes ostendere. Sed iam satis discessimus à proposito. Secunda regula illorum est, Terminus significans inceptionem ampliat omnes terminos, ad illud quod est, vel immediatè post hoc erit: significans desitionem econtra, ad id quod est, vel immediatè ante hoc fuit. Tertia significans uerò actionem per quam res incipit esse, ampliat terminum rectum ab illo, ad id quod est, vel erit: & significans corruptionem ad illud quod est, vel fuit: & hoc, ob id nimirum vt probent has esse veras, Petrus ædificat domum, domus diruta est, &c. Sed has quis neget, nullam quamuis norit ampliationem ibi latere. Quarta regula terminus significans prioritatem ampliat terminum rectum à se, post se, ad illud quod est, vel erit: significans uerò posterioritatem, ad illud quod est, uel fuit. Quintam demum regulam (quam facilius susceperim) sic conficiunt: verbum, potest, & modus, possibiliter, & omnia nomina terminata, in bile, vel, tiuum, uel quæcunque alia aptitudinem significantia ampliant tam ante se quam post se ad possibilia, siue ad quatuor temporis differentias (quod idem est) omnes terminos: in qua sextam etiam regulam inclusimus breuitatis gratia. exemplum huius in principio capitis posuimus. Denique septima & octaua regulæ, sic habent ly, imaginario, & verbum imaginor, & uerba omnia significantia actum animæ interiorem,*

*ampliant, illa quidem, tam ante se quam post se ad imaginabilia, hæc verò vltima terminos tantum quos regunt post se: ly, verò præscitus, & prædestinatus, ampliāt etiam ad tres temporis differentias, licet sint participia. Sed (vt meam ingenuè proferam senten tiam) cum ampliationes iuxta aurium maximè consilium sint concedendæ, aut negandæ: regulam participiorum, quatuor item vltimas, tanquam auribus consonas facile ipse suscepérim, reliquas quantum aures tantum patientur vbi necessitas id postulet admissurus. Solent hic demum regulæ arguendi constitui, quas (quia & sæpe deficiunt & implexæ nimis sunt, omnesq; super illa regula topica fundantur, ab inferiori ad suum superius affirmatiuè, & è contra negatiuè,) libens prætereo: si illud solum adnotauero, terminum ampliatum in vniuersum habere se vt superius, respectu aut non ampliati aut restricti, & econtra: voco autem terminum non ampliatum cum capitur in ordine ad vnam tantum differentiam temporis. & hæc de ampliatione dixisse sit satis.*

## De restrictione. Cap. 6.

R*Estrictio ampliationi est connexa, atque ideo de ipsa etiam nonnihil post ampliationem scribere in animo est. Est ergo restrictio, impedimentum ne ter minus supponat iuxta totam exigentiam copulæ prin cipalis: quod fit quinque modis. aut per copulam implicationis, vt in his homo qui est erit sapiens equus qui currit est albus, vbi tam ly homo, quam ly, equus,*

re-

*restringuntur : in prima ne supponat pro omni homine qui erit, vt exigit copula principalis, sed pro illo tantum qui est & erit : in secunda non pro omni equo qui est, sed pro currenti tantum. aut per additionem adiectiui ad substantiuũ in eodem extremo, vt in hac homo albus currit, ubi ly homo non supponit pro omni homine præsenti sed pro albo tantum: in quibus adiectiuum etiã uicissim restringitur ne stet pro omni albo sed pro homine tantum qui est albus. Tertiò fit restrictio per adiectionem inferioris ad superius, ut color albedo disgregat uisum, ubi ly, color, non supponit pro omni colore, Sed pro albedine tãtum, stat enim ibi albedo (ut Grammaticorum uerbis utar) appositiuè. Quartò fit restrictio per determinationem generis, ut si dicas homo alba ambulat, ubi ly, homo, restringitur ut stet pro solis fœminis ijsq; albis, ferè enim semper restrictio generis restrictionem adiectiui secum fert. Sextò demũ per additionem determinationis ad determinabile (vocant antem in complexo constanti nomine & obliquo, aut nomine & sincategoremate, nomen determinabile, obliquum verò aut Sincategorema determinationem, quin & omnem terminum alium restringentem communi nomine solent determinationem appellare, quòd scilicet terminet & circunscribat modum significandi eius) vt in hac equus hominis currit, ly equus non supponit pro quolibet equo qui est, sed pro possesso tantum ab homine : determinatio tamen non restringitur econtra à determinabili sicut adiectiaum à substantiuo, volo dicere quod ly, hominis, in suprapposita non*

*ſupponit pro ſolo homine habēte equum, ſed pro quolibet. Hic etiam ſolent ſtatui regulæ ad arguendum, ſed fundamentum earum eſt regula ſupra tacta in capite ſuperiori: vnde ſufficiet dicere, quod reſtrictum reſpectu non reſtricti ſe habet, ſicut inferius reſpectu ſuperioris. Scio me in diffinitionibus ſuppoſitionis, ampliationis, & reſtrictionis, à vulgaribus deſcriptionibus deuiaſſe. Sciat tamen lector me id conſultò feciſſe, non quò alios alioqui grauiſſimos auctores deſpiciam, ſed has & clariores & cauillationibus minus obnoxias exiſtimantem: quoq; veritatem nullius vnquam addictus ſacris, quam maximè poſſem ſemper tenerem: ſoli enim illi eum detuli ſemper honorem, vt eius amicus, vel vſq; ad aras perſeuerē.*

## De appellatione. Cap. 7.

*SVpereſt de appellatione iam agere, quæ inter cæteras logicas proprietates præcipui certè eſt obſequij & emolumenti ad alias diſciplinas properantibus. Eſtq; appellatio, applicatio ſignificati formalis vnius concreti ad ſignificatum formale alterius: vt in hac, Petrus eſt magnus logicus, formale ſignificatum de ly, magnus, ſcilicet magnitudo applicatur ad formale de ly, logicus, quod eſt logice: ita quòd ſignificatur magnitudo non corporis, ſed logicæ, eſſe in Petro. Et hæc appellatio eſt duplex rationis & realis. Appellatio rationis eſt applicatio accidentis rationis ad primarium ſignificatum ſubiecti, ut homo eſt ſpecies: & hæc nunquam reperitur ſine ſuppoſitione*

*tione simplici. Appellatio realis est applicatio accidentis realis ad formale alterius in eodem extremo, vt in illa Iacobus est bonus philosophus: dixi, in eodem extremo, nam ab vno extremo ad aliud nõ est appellatio realis, vt in plurimum: quæ sit prima regula de appellatione reali. Subiectum enim semper subijcit suum suppositum formæ prædicati. & hinc est quod adiectiuum adiectiuè tentum nequit esse totale subiectum, potest tamen esse totale prædicatum, quod est valde aduertendum. Secunda regula appellationis realis sit (licet à plerisque pro appellatione rationis statuatur) quod verbum significans actum animæ interiorem appellat supra proprium conceptum termini sequentis, vt cognosco Papam: vbi cognitio non applicatur Petro, vel Paulo qui, verbi gratia sit Papa, sed Papæ quicunque ille sit, & cognosco venientem significat, non quod norim Petrum, qui venit, sed quod noui aliquem venire, siue sciam quis ille sit, siue secus: ita quòd si videam Ioannem venire à longe, tamen nondum cognoscam illum, qui venit esse Ioannem, nihilominus verè dicam, cognosco venientem: non tamen quod venientem cognosco. Et ideo diximus termini sequentis: nam si non sequatur, applicatur suppositum subiecti formæ prædicati. Sed de hac regula dixerim quod de omnibus soleo, potius esse consulendas aures quam regulam, vt illam, vel negem, vel concedam. Absurdum enim est quod quia videam hominem venientem absque eo quod cognoscam illum, sit verum quod cognosco hominem venientem. Tertia demum*

*regula est quod omnis appellatio realis fit inter terminos connotatiuos tantum : excepto ly , homo , dicto de Christo,qui licet sit absolutus , habet tamen formã connotatiui, quia significat humanitatem in supposito alieno,& completo, scilicet diuino: nec mirum nouis rebus in mundũ a deo inductis,nouam formã sumpsisse earũ nomina . Est enim humanitas in Christo quasi per modum accidentis,dixi quasi quia in eò etiam est substantia humanitas , & Christus est homo absolutè & vniuocè nobiscum secundum fidem . itaq; quando ly,homo,est pars extremi,cum aliquò adiectiuo,illud adiectiuum appellat supra formale significatum de ly,homo,scilicet humanitatem,sed si sit in alio extremo non fit appellatio,sed cadit adiectiuum supra suppositum de ly,homo,ꝙ in Christo est diuinũ . & ideo hæ sunt veræ & de fide,hic homo (ostenso Christo)est æternus,& hic non est æternus homo, eodem ostenso: item, hic est homo factus . & illæ falsæ, hic homo est factus,& hic homo non est æternus, et sunt hæreticæ: & hoc memento . Sit quarta & vltima regula quod quando adiectiua siue adiectiuum & substantiuũ in eodem extremo,significant accidentia omnino cõtraria, idest quorum non possit vnum inhærere ratione alterius,nulla est appellatio . vt si diceres, hic homo est musicus albus, non innuis albedinem musicæ, esse in homine, sed albedinem & musicam . & omnes hæ regulæ ( quod millies repetã) intelligantur,vt in plurimum , sumpto iudicio à communi modo concipiẽdi, quem in omnibus his diximus esse certissimã & vniuersalissimam regulam : at illa de , homine , dicto de.*

*Christo,*

*Christo, est absq; dubio inter omnes certissima & infallibilis. Diximus termini concreti, quia inter abstracta nulla est appellatio, licet sit applicatio, quin et variatur aliquando veritas propositionis propter varietatem talis applicationis in abstractis: & ideo non tenet hæc consequentia, hæc albedo disgregat visum, hæc albedo est similitudo, ergo similitudo disgregat visum, quia ly, disgregare, applicatur in antecedenti supposito de ly, albedo, & in consequenti supposito de ly, similitudo, quæ quamuis sint idem re, differunt tamen ratione diffinitiua. & ideo illa dicitur variatio appellationis suppositorum: melius tamen diceretur nullo modo esse ibi appellationem, cum non sit applicatio formalis ad formale, sed formalis ad suppositum seu materiale, vt patuit. atque ideo (salua doctissimorum virorum auctoritate) Respondere satius esset negando absolutè minorem illius consequentiæ: nam certè albedo non est similitudo, licet non sit alia res à similitudine, alias prædicamenta non essent primo diuersa: albedo enim est qualitas, & similitudo est ad aliquid, sed de hoc satis: pertinet enim vt insinuauimus tota hæc quæstio ad methaphysicum: cuius est distinctiones rerum indagare. illud tantum præmonere libet, terminorum significationes pro hac materia, à primo libro capite vigesimo esse mutuandas. atque adeo in vniuersum hoc curiosus lector in toto hoc decursu attendat oportet, nisi præcedentia semper præ manibus habuerit, frustra eum ad vlteriora processurum: ac sicubi nimis strictè & concise de aliqua re agere videbimur, in causa*

*consequentia.nota rursus illationis est triplex, causalis, conditionalis, & rationalis : primæ sunt exempla coniunctiones quia, quoniam, nam, nanq;, enim, & similes : secundæ, si, dum, cùm & eiusmodi : tertiæ, ergo, igitur, vt apud grammaticos : & ab illis sumunt & nomen & differentiam cõsequentiæ, antecedens item est duplex, aliud, enim constat vnica propositione aut oratione perfecta, vt homo volat ergo habet alas: si Petrus laboraret, valeret. aliud, propositione hypothetica, vt homo est animal, & omne animal viuit, ergo homo viuit: in rationali enim consequentia quidquid antecedit notam illationis est antecedens, in conditionali verò & causali quidquid immediatè suas sequitur notas. in antecedenti hypothetico, prima propositio dicitur maior, secunda minor. rursus cõsequentia est duplex bona & mala, bona est cuius antecedens nequit esse verum sine consequente, quantum est ex virtute consequentiæ: mala econtra, cuius antecedens potest esse verum sine cõsequente: vt, si animal est, homo est: vbi licet antecedens & consequens sint vera, potest tamen esse verum antecedens, & falsum cõsequens in simili, quin etiam in eadem cõsequentia: verbi gratia, facta hypothesi quod nullus homo existat, existant autem boues & reliqua animantia. ad cognoscendam ergo bonam consequentiam notandæ sunt sex regulæ apprimè necessariæ. Prima si consequentia est bona, & antecedens est verum, consequens etiam est verum: quæ sequitur ex diffinitione bonæ consequentiæ. Hinc fit quod quando respondemus ad aliquod argumentũ (quod per binam*

*resum-*

*resumptionem faciendũ est ) in secunda resumptione, antecedens seu partes eius, si eas habuerit, scilicet, maior & minor, suo ordine seorsum sunt aut negãdæ, aut concedendæ, aut distinguendæ, vel si ad rem nõ facient, dicendũ transeat: Si vero totũ antecedens concedatur, & iam secundò resumatur consequens, debet negari consequentia, non consequens: nam per hanc regulam si antecedens est verum, & consequentia bona, consequens iam nequit eße falsum: & per consequens nec negari: secunda si consequentia est bona, & consequens falsum, antecedens est falsum: quæ sequitur ex prima: tertia si consequentia est bona, & antecedens poßibile, consequens est item poßibile: quarta si vero consequens impoßibile, itidem antecedens: quinta si consequentia est bona, & antecedens est necessarium, ita & consequens: sexta si vero consequens fuerit contingens, antecedens nequit esse necessarium. restat iam argumentationis species distinguere, quæ sunt quatuor: exemplum, enthymema, syllogismus, de quibus suis locis postea, & inductio demum, de qua hoc loco (quia ad oppositionũ materiam adminiculatur non leuiter) institutus est nobis sermo.*

## De inductione. Cap. 9.

*INductio seu ascensus (vt iuniores loquuntur) est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale accessio seu progreßio: vt si dicã. Luna non scintillat, nec Mercurius, nec Sol, nec Mars neq; Venus, nec Iuppiter, aut Saturnus, ergo nullus planeta scintillat;*

*est*

*est enim inductio probatio vniuersalis per singularia, & ideo dicitur esse ad sensum, quia descendit usque ad singularia quæ sensu percipiuntur. cum in diffinitione dico à singularibus, loquor respectiuè, eo modo quo species alicuius generis dicuntur singularia respectu illius: ac si probem sic omne elementum esse corpus: aqua est corpus, terra itidem, aer, & ignis, ergo omne elementum est corpus. sed quia singularia sunt fere semper innumera, ac proinde nec possint sufficienter numerari, ideo solet addi post numerata aliqua singularia, ly, & sic de singulis. Atqui ideo hæc argumentatio non est necessaria, sed tantum probabilis, quia ut dictum est, nunquam ferè possumus numerare omnia singularia, sed ex aliquibus quæ experimur uerisimiliter credimus reliqua. Descensus econtra est ab uniuersali ad singularia progressio: ut si uelim probare hanc esse falsam, omnis homo est albus, infero ergo hic homo est albus & hic &c. & cum dem unam singularem falsam, infero illam uniuersalem esse falsam, nam si illa esset uera, per descensum omnes singulares essent ueræ. Atqui tam ascensus quam descensus est duplex, scilicet, copulatiuus & disiunctiuus: ille est cum singularia numerantur per ly, &, iungente integras categoricas, ut quos supra fecimus. hic uerò est cum singularia numerantur per ly, uel, disiungente integras categoricas, ut, homo est animal; ergo hic homo est animal, uel hic homo est animal, &c. & hic est descensus. item hic homo est albus, uel hic homo est albus &c. ergo aliquis*

*homo est albus, & hic est ascensus, quo semper vtimur ad manifestandam veritatem propositionis vniuersalis, sicuti descensu ad manifestandam eiusdem falsitatem. Sciendum rursus sub omni termino supponente distributiuè debere fieri ascensum & descensum copulatiuum, sub determinatè verò supponente: disiunctiuum: sub supponente confusè tantum nullum: nisi fiat prius sub distributo à signo à quo ipse confunditur. nam tunc potest resolui disiunctiuè, dico autem resolui, descensum sub illo fieri. sed dices? quid sub supponente confusè tantum à signo speciali confusionis, vt cum dico ad equitandū requiritur equus? nam siue copulatiue siue disiunctiuè descendas sub ly, equus, illa apparebit falsa cum sit verissima: respondetur, quod sub illis propriè nō licet descendere, sicut nec sub signo collectiuo, aut incompleto, vt, omnes, alter, neuter, at si id fieri instabis, fieri posset per improprium quendam ascensum & descensum qui disiunctus dicitur, quia fit per ly, vel, disiungente non propositiones sed terminos tantum aut orationes, ac si dicam ad equitandum requiritur equus, ergo ad equitandum hic equus, vel hic, vel hic, &c. requiritur. sub ly, omnes, verò collectiuo, barbare descendi solet per copulatum cum eodem signo: voco autem descensum copulatum proportionaliter qui fit per ly, & coniungente non propositiones integras sed terminos tantum, aut orationes, hoc modo: omnes Apostoli Christi sunt duodecim, ergo hi omnes Apostoli, & hi omnes apostoli, &c. (designatis singulis apostolorū paribus) sunt duodecim. ita & sub incompletis faciūt descen-*

*sus*

*ſus & aſcenſus mixtos, ſcilicet, diſiunctiuos ſub copulatione ſub ly vterq; : ita, hic homo diſputat, & hic homo diſputat : vel hic homo diſputat, & hic homo diſputat : &c. ita vt paria ſemper copulatiuè numerentur, & cum à paribus tranſitur ad alia paria copulatiuè deſcendatur. & ſimiliter ſub ly, neuter. ly, alter, verò reſoluitur diſiunctiuè, cum ly duorum: vt alter homo diſputat, ergo hic homo duorum vel ex duobus diſputat, vel hic. Et aut (vt alij dicunt) copulatiuè ſub diſiunctione, nempe è regione ſuperioris. Sed certe melius eſſet hos aſcenſus deſcenſusq; copulatos, diſiunctos, ac mixtos, ab ſcholis ablegare, cum propoſitiones non manifeſtent (quod eſt munus inductionis) ſed obſcurent potius. & quamuis diſiunctus ſub confuſo à ſigno ſpeciali confuſionis poſſit admitti, melius forſan diceretur (vt dicebant antiqui) omnes terminos non reſolubiles copulatiuè vel diſiunctiuè ſaltim mediatè vel immediatè ſupponere immobiliter, id eſt, non poſſe fieri deſcenſum ſub illis, & ideo nos tam aſcenſum quam deſcenſum in copulatiuum & diſiunctiuum tantũ diuiſimus. Notandus demum eſt ordo reſolutionis terminorum, à quo nimirum tota hæc materia maxime pendet. eſt ergo ſciendum quod in vniuerſum debet fieri deſcenſus ſub termino ſupponente determinate, priuſquã ſub reliquis: & deinde ſub ſupponente diſtributiuè : & demum ſub termino ſupponente confuſè tantum, à ſigno vniuerſali affirmatiuo : quod ſi fuerint plures ſupponentes determinatè, indifferenter ab vtrolibet poteris incipere : & ſic ſub diſtributis, niſi ſit complexũ acceptum vnica*

*cuius*

*cuius vtraq; pars distribuitur, nam tunc nequit resol ui determinabile quantumlibet distributum nisi prius resoluatur determinatio: in hac enim, verbi gratia, quilibet equus cuiuslibet hominis currit, si resoluatur prius ly, equus, illa erit falsa, licet oẽs equi currant, nam facit hunc sensum, hic equus cuiuslibet hominis currit, &c. cũ tamen nullus sit equus (rebus vt nunc) qui sit cuiuslibet hominis: incipiendum ergo est à determinatione, & hoc est memoriæ cõmendandum. con fusa tamen determinatio à signo vniuersali, in accepto non vnica complexo, stat confusè seu immobiliter in ordine solum ad terminũ quem suum signum distri buit, ita quod eo resoluto manet determinata respectu prædicati, nunquã enim signum vniuersale affirmatiuum confundit aliquem terminum nisi in ordine ad se, vel ad illum terminũ quem distribuit, vt patet per exempla, quod si complexum constans ex determinabili & determinatione accipiatur vnica (hoc autem fit cum determinabile præcedit, nam si sequatur determinationem semper accipitur pluribus) tunc econ tra resoluendũ prius est determinabile, quia quocũq; signo determinatio alligetur, semper cẽsetur suppone re: vt suũ determinabile & hoc nota pro oppositionibus. ex supradictis patet, quod ad ueritatẽ ꝓpositionis vniuersalis requiritur quod oẽs eius singulares sint veræ: ad falsitatem verò sufficit vna singularis falsa. ad veritatẽ vero, particularis seu indefinitæ ꝓpositio nis sufficit vna eius singularis vera: ad falsitatẽ autẽ eiusdẽ requirũtur oẽs singulares falsæ: vt liquet indu centi. & hactenus de inductione disseruisse sufficiat.*


De

## De oppositionibus Cap. 10.

*Consideraturis habitudines & respectus qui inter duas propositiones ad inuicem reperiuntur, sciendum prius, quod propositionum aliæ inter se in nullo termino conueniunt, vt homo est rationalis, equus currit: & de his nunc non loquimur. aliæ in aliquo termino cōueniunt: & ex his aliæ vno tantum, aliæ vtroq; (voco autem hic terminū subiectum aut prædicatū) participant termino: & de harum prioribus in quatuor vltimis libris. ex his quæ participant vtroq; termino, aliæ ordine cōuerso, vt homo est animal, animal est homo: & de his postea in conuersionibus. aliæ ordine eodem: & hæ rursus aut sunt æquipollentes, aut subalternæ, aut oppositæ, de primis suo loco fiet sermo: subalternæ verò & oppositæ (quæ quia eodē loco tractantur ab omnibus, à nobis etiā simul discutientur) aut sunt modales, aut exponibiles, aut simplices. De modalibus & exponibilibus peculiaribus locis determinabimus. at oppositæ simplices sunt in triplici differentia: aliæ enim sunt contrariæ, aliæ subcontrariæ, & aliæ cōtradictoriæ, & hic etiam licet non sint oppositæ quarto loco solent annumerari subalternæ. Sunt ergo contrariæ duæ propositiones vniuersales quarum vna est affirmatiua & altera negatiua in vtroq; extremo conuenientes: (nam de his toto hoc capite loquor) vt, omnis homo est animal nullus homo est animal, vniuersalē voco de subiecto distributo vt supra suo loco. subcōtrariæ sunt particularis affirmatiua & particularis negatiua: vt, aliquis homo est albus, aliquis homo nō est albus, particularē dico quæ*

*est de*

*est de subiecto communi, nullo signo aut signo particu lari determinato. contradictoriæ sunt vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, vel econtra: vt, nullus homo currit, aliquis homo currit: omnis homo loquitur, aliquis homo non loquitur. subalternæ sunt, vniuersalis & particularis ambæ affirmatiuæ vel ambæ negatiuæ: vt aliquis homo tacet, omnis homo tacet: nullus homo dormit, aliquis homo non dormit: & in his vniuersalis dicitur subalternans, particularis subalternata. in omnibus his definitionibus oportet subintelligere genus definiti, eiusdem subiecti & eiusdem prædicati, & ordine eodem, vt præmissum à nobis est. vtq; hæc omnia facilius percipiantur subdemus oculis tale exemplum.*




*Inquo*

*in quo patet ſub contrarias per lineas rectas eſſe ſubalternas ad contrarias, per tranſuerſas verò contradictorias: & econuerſo contrarias per lineas rectas eſſe ſubalternantes ad ſubcontrarias, et per tranſuerſas contradicentes. & hæ quidem diuiſiones omnes ſunt propoſitionum de ſubiecto communi: nam in his quæ ſunt de ſubiecto ſingulari quæcunque oppoſitæ, contradictoriæ ſunt. dico quidem oppoſitas, quæ aliquam habent oppoſitionem: eſt autem oppoſitio in genere, affirmatio & negatio eiuſdem de eodem in veritate & falſitate, aut in ſola veritate vel in ſola falſitate repugnantium: vt vlterius patebit.*

## De legibus oppoſitionum. Cap. 11.

*CViuſcunq; ex enumeratis eſt quædam lex quam debent ſeruare, vt tales dicantur, contradictoriarum lex eſt, quod nequeant eſſe, aut ambæ ſimul veræ, aut ambæ ſimul falſæ, nec in ſe, nec in ſimili forma: contrariæ (quæ earum eſt lex) nequeunt eßе ambæ ſimul veræ, poßunt tamen eſſe ſimul falſæ, in materia contingenti de accidenti ſeparabili: ſubcontrariæ aũt (ſecundum ſuam legem) nequeunt eſſe ſimul falſæ, bene tamen ſimul veræ in eadem materia. Lex ſubalternarum eſt quod ſi ſubalternans eſt vera ſua ſubalternata debet eſſe vera, & non econtra, Si vero ſubalternata eſt falſa, ſubalternans etiam eſſe falſa debet & non econtra: & hoc patet ex regula quam in calce inductionis ſubnotauimus. id tamẽ ad horum pleniorem intelligentiam ſciendum eſt, quod materia*

*propositionum est triplex: naturalis, estq; illa in qua prædicatũ est de essentia subiecti, vel proprium eius, vt, homo est animal. Contingens, & est illa in qua prædicatum est accidens subiecti, vt, homo est albus. remota in qua prædicatum repugnat subiecto, vt homo est lapis. ex his patebunt supradictæ leges. Cum ergo propositiones duæ vel plures conueniunt, vt sint in vna harum materiarum, dicuntur esse eiusdem materiæ, in quacunque verò materia fuerint, modo conueniant in legibus et conditionibus quas infra ademus, dicuntur similis formæ in proposito, scilicet ad oppositiones: & si habeant easdem conditiones syllogisticas, etiam si discrepent in materia, dicuntur esse eiusdem formæ ad syllogismos: & ita in singulis de quibus erit sermo. Propositio enim sicut & quælibet res naturalis constat materia (quæ subiectum est & prædicatum, atque ideo triplex, vt supra) & forma quæ dignoscitur per accidentia, scilicet quantitatem, qualitatem, & reliqua: & hoc oportet aduertere. duobus.n.verbis credo satis expositã rem, à iunioribus nunq̃ lõgissimis paginis satis explicatam.*

## De conditionibus oppositionum. Cap. 12.

*Constituuntur etiam vnicuiq; oppositionũ generi conditiones, quibus dignosci possint: quas (licet variæ & implexæ admodum apud alios sint) conabimur breui & lucidè quantum licuerit exponere. Sunt ergo quatuor (quidquid alij sentiant) generales conditiones,*

*ditiones, quas habere debent omnes opposita: & est praeterea vna peculiaris vnicuiq; generi. Generales sunt hæ, prima q̄ in principio statuimus, scilicet q̄ sint eiusdem subiecti, & eiusdē prædicati vniuocè & ordine eodem: defectu cuius hæ non sunt opposita, canis latrat, nullus canis latrat, si in vna canis capiatur pro animali, et in alia pro astro: secunda est quod seruetur eadem ampliatio, restrictio, & appellatio extremorū, et præter hæc etiam idem genus suppositionis. Dixi genus, quia species non est necesse qđ seruetur, quin potius est ferè semp̄ mutanda: voco aūt species suppositionis determinatā, confusam, distributiuamq; ut suo loco licet videre: itaq; si in vna subiectū accipiatur materialiter, aut simpliciter, in altera verò personaliter, non erunt opposita, vt hæ, homo est nomen, nullus homo est nomē: in prima.n. supponit homo materialiter, in secunda vero personaliter. Quin (quod libens notauerim, quia mentionem huius apud neminem vidi) terminus supponens simpliciter, aut materialiter, imò & naturaliter, pro oppositionibus reputantur singulares: ita quod huius, homo est species, non est contradictoria hæc, nullus homo est species, cum ambæ sint veræ, propter variationem suppositionis: sed hæc, homo non est species: eodem modo (nempe simpliciter) ly, homo, supponente. Tertia conditio generalis est quod sint oppositæ qualitatis: defectu cuius subalternæ non sunt opposita. oppositæ inquam qualitatis, quantum ad copulam principalem: nam copula implicationis non debet esse oppositæ qualitatis, sed potius eiusdem: vt si dicam,*

*omnis homo qui est albus currit, non erit huius contradictoria hæc, aliquis homo qui non est albus non currit. sed potius hæc, aliquis homo qui est albus non currit. Quarta conditio (quam ego generalem facio, cum ipsam alij in tres peculiares obscurissimè partiantur) est, quod termini in vtraque ita supponant quod seruari possit idem ordo resolutionis terminorum in ambabus. ad quam regulam præ manibus habendum est illud, quod de ordine resolutionis in capite de inductione diximus: quod quia aliqui neglexere, eo prolapsi sunt, vt hanc regulam non auderent ponere: verbi gratia, si dicam, omnis homo est animal, quia ly, animal, vltimo loco resoluitur in affirmatiua, (supponit enim confusè in ordine ad distributũ) hæc non contradicet illi, aliquis homo animal non est: quia cum animal supponat determinatè in hac, licebit descendere prius sub illo, & dabitur illa etiam vera contra legem: debet ergo dici, aliquis homo non est animal, vt animal supponat distributiuè, quo secundum regulam quam loco supra citato posuimus: prius debeat resolui ly, homo, suppones determinatè. & ita poterit lector experiri in omnibus oppositionibus. Hæ itaque sunt conditiones generales, particulares verò quæ sequuntur. Contradictoriarum quidem, quod omnis vniuersalitas vnius debet mutari in particularitatem in altera, & econtra, ita quod neque maneat eadem particularitas nec eadem vniuersalitas in vtraque. ad cuius intelligentiam sciendum est, duplicẽ esse tam vniuersalitatem quam particularitatem, scilicet categorematicam & syncategorematicam: Vniuersalitas*

*salitas categorematica est omnis terminus supponens distributiuè: Particularitas Categorematica, omnis supponens determinatè vel confusè tantum. Vnde in hac promitto tibi equum, ly, equum, dicitur particularitas (quod aliqui sine causa negant) cum in cōtradictoria debeat mutari in vniuersalem scilicet distribui: contradictoria enim illius est hæc, nullum equum tibi promitto. Vniuersalitas syncategorematica est sincategorema copulatiuè resoluendū, vt necessario impossibiliter, & signa etiam exponibilia copulatiuè, vt tantum &c. de quibus suo loco. Particularitas sincategorematica est sincategorema disiunctiuè resoluendum vel exponendum vt, possibiliter, vel, &c. atque adeo regula intelligitur de omni vniuersalitate et particularitate, excepta vniuersalitate non vniuersaliter tenta, & particularite non particulariter: voco autem illam determinationem acceptam vnica et distributam, nam hæc censetur ac si esset singularitas, quia immobiliter supponit vt supra comminiscebamur, & ideo non debet mutari in contradictorijs, quin debet manere eadem in vtraque: verbi gratia, contradicens huius, omnis homo habens omnem scientiā currit, non est hæc, aliquis homo habens aliquā scientiam non currit, sed, aliquis homo habens omnē scientiam non currit: & ratio est quia tunc totum complexum reputatur vnicus simplex terminis, & sic vnica resolutione determinabilis est tantum resoluendum totum complexum. & idem censendum de particularitate, non particulariter tenta, quæ est determinatio complexi accepti vnica signo particulari, aut nullo*

*ſigno determinata: vt facile per exempla experiri licet. Ex his etiam patent conditiones peculiares aliarum omnium oppoſitionum. Conditio enim peculiaris contrariarum eſt quod omnis particularitas vnius (ſi eam habuerit) debet mutari in vniuerſalitatem in altera, non tamen econtra: imò debet manere ſemper eadem vniuerſalitas in vtraque. ſubcontrariæ contra exigunt quod omnis vniuerſalitas vnius (ſi eam habuerit) debet mutari in altera in particularitatem, & non econtra: quin potius debet manere eadem particularitas in vtraque. ex his patet etiam quod propoſitio in qua nulla fuerit vniuerſalitas, nequit habere contrariam: & in qua nulla particularitas nequit habere ſubcontrariam: ſemper loquimur de vniuerſalitate vniuerſaliter tenta & particularitate eadem. Conditiones ſubalternarum ſunt omnes generales excepta tertia; quia cum nullatenus ſint oppoſitæ, quin potius vna inferat alteram, oportet vt eiuſdem ſint qualitatis. Peculiaris verò conditio earum eſt quòd omnis vniuerſalitas ſubalternantis, debet in ſubalternata mutari in particularitatem. Hæc omnia exemplis patere poterunt quibus paginas inſercire ſuperuacaneum duco, cum ea facile quiuis pro ingenij captu excogitare valeat, ſi ad conditiones & leges reſpexerit. Solent hic argutiæ multiplicari, quæ omnes intellectis ritè quæ diximus euaneſcent ſanè, ac proinde indigna ſunt quibus amplius immoremur. illud ſi prius docuerimus, eſſe aliqua ſigna incompleta, quæ ſcilicet particularitatem*

*& vniuersalitatem simul includunt, rursusq; in duplici sunt differentia: nam aut semper sunt incompleta, vt tantum, &, de quibus suis locis est agendum. alia verò quæ cum sint completa sumuntur tamen aliquando incompletè, quod est (vt ita dicam) distribuere non pro omnibus indiuiduis, sed pro singulis singularum specierum, vt cum dico: Omne animal fuit in arca Noe, nō intelligo quod omnia indiuidua animalis, (q̃uis & sic, pro illo tempore restringendo, illa esset uera) sed quod ex omni specie aliquod indiuiduū: & hoc modo sumi possunt (mea sententia) incompletè omnia signa tam vniuersalia quam particularia. Pro quibus omnibus illud adnotasse sufficiat quod talia signa in vtraque oppositarum sumantur eodem modo, scilicet si in vna completè, in alia etiam completè, & econtra quod conditionibus generalibus iam à nobis cautum est. Sciendum tamen quod ly, vterque, & neuter, licet in alio sensu dicantur incompleta, nempè quia non pro omnibus, sed pro duobus tantum distribuāt, seu pro quolibet duorū, pro oppositionibus tamen censentur vniuersalia, ut ly, alter, particulare. At qualislibet, quasiquilibet, et cætera portenta barbara potius q̃ signa omittimus, vt decet, nec credo ly, quilibet, restringere pro masculis, ut aliqui uolunt: nam certè (vt eruditè asserit copulata Louaniensis) semper masculinū genus trahit secū fœmineū ut nobilius, licet non ecōtra: cū.n. dico, quilibet homo timet mortē, nullus latinus intelligit me excludere fœminas. ly, qualibet, uerò et similia benè restringūt p fœminis ut supra à nobis est dictū. De illis uerò suppo-*

*ſitionibus mixtis de, a, & b,c, & ,ſ, neque gry quidem cenſeo faciendum. & hactenus quidem ſatis ſuperq; de oppoſitionibus ſit diſputatum, ſi illud ſemel prouerbium tritiſſimum addiderimus, non eſſe melius contradicere quam toti propoſitioni negationem præponere: quo certè ſi contenti eſſe vellent ſophiſtiſſimi homines, melius nobiſcum actum eſſet, nec egeremus innumeris tricis quibus indignè alio properantes diſtinemur.*

## De æquipollentiis. Cap. 13.

*ALiud membrum earum propoſitionum quæ conſtant eodem ſubiecto & eodem prædicato ordine eodem conſtituit æquipollentes: dicuntur autē æquipollentes in propoſito, duæ propoſitiones categoricæ, eiuſdem ſubiecti, & eiuſdem prædicati, quorum vna infert aliam per additionem aut remotionem negationis: ad quas dignoſcendas tres dantur regulæ. Prima datis duabus propoſitionibus contradictorijs, cuicunq; illarum præponatur negatio, æquipollet alteri. Secunda datis duabus contrarijs, cuiuſcunq; ſubiecto poſtponatur negatio, æquipollet reliquæ. Tertia datis duabus ſubalternis, cuiuſcunque ſubiecto præponatur & poſtponatur negatio, æquipollet alteri. vt hæ omnes ſunt inuicem æquipollentes, omnis homo amat, nullus homo non amat: et quidam homo non eſt animal, non omnis homo eſt animal: et homo ridet, non omnis homo non ridet: quia ſi ab altera illarum auferas negationes quæ per regulas additæ ſunt, remanebūt oppoſitæ,*

*posi tæ: nempe primæ contrariæ, secundæ contradicto
riæ, vltimæ subcōtrariæ: vnde versus: Præ cōtradic,
post contra, præpostq; subalter. Sequitur ex dictis
quod si sint plura signa vniuersalia negatiua in vna
propositione, primum æquiualet suo contrario, secun-
dum suo contradictorio, tertium suo contrario, & sic
vicissim quousq; congrua maneat loquutio: vnde ver
sus. Non omnis, quidam non: (subintellige valet) om
nis non, quasi nullus. nonnullus, quidā; sed nullus non,
valet omnis. non aliquis, nullus: non quidam non, va-
let omnis. nō alter, neuter: neuter non, præstat vterq;
vt facilius ea signa dignoscātur, & quia hæc clariora
sunt quam vt expositione egeant de his satis.*

## De conuersionibus. Cap. 14.

*PRopositiones quæ eorundem extremorum sunt nō
tamen ordine eodem sed cōuerso dicuntur conuer-
tentes, seu conuersæ: est autem conuersio, duarum pro
positionū categoricarū alterius ad alterā consequen-
tia formalis per transpositionē extremorū, in qua con
sequentia, antecedens dicitur propositio conuersa, &
consequens propositio conuertens. conuersio verò est
triplex. s. simplex, estq; quādo fit de prædicato subie-
ctū, et de subiecto prædicatū, manētibus quātitate &
qualitate ijsdē, qua cōuersione cōuertuntur vniuersa
lis negatiua, et particularis affirmatiua, vt, nullus ho
mo vigilat ergo nullum vigilans est homo: aliquis ho
mo est sapiens ergo aliquod sapiens est homo: sub par
ticulari semper cōprehendo indefinitā & singularē.
Alia est conuersio per accidens, & est quando fit
de subiecto*

*de subiecto prædicatum, & de prædicato subiectum, manente eadem qualitate sed mutata quantitate: qua conuertuntur vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, & vniuersalis negatiua in particularem negatiuam: vt omnis homo est albus, ergo aliquod album est homo: nullus homo est lapis, ergo aliquis lapis non est homo. tertia demum est conuersio per contrapositionem estq́; facere de subiecto prædicatum, & de prædicato subiectum, manente eadem qualitate & quantitate sed mutatis extremis finitis in infinita. & hoc modo conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua: vt, omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo: & aliquis homo non est albus, ergo aliquod non album non est non homo. vnde versus.*

*Simpliciter, Feci, conuertitur. Eua, per acci.*
*Asto, per contra. sic fit conuersio tota.*
*asserit. A. negat. E. sunt vniuersaliter ambæ.*
*asserit. I. negat. O. sunt particulariter ambæ.*

*Vbi per illas vocales illarum trium dictionum, scilicet, Feci, Eua, asto, vides totas tres conuersionum regulas explicatas, secundũ interpretationem duorum vltimorũ versuum. Sciendum tamen quod in omnibus consequentijs tam cõuersionum quam æquipollentiarum (ne erremus) debent semper seruari eædem proprietates logicales extremorum: ad id enim illæ docentur. notandum item quod conuersio per contrapositionem non tenet in vniuersum, & ideo dicunt aliqui, vt teneat, exigere constantiam, scilicet, existentiam subiecti particularis negatiuæ, & cõtradictorij*

*prædicati*

prædicati vniuersalis affirmatiuæ: sed melius & clarius (quamuis in idem recidat) diceretur quod illa tenet in propositionibus tantũ de subiecto supponente si fuerit particularis, & de contradictorio prædicati supponẽte si sit vniuersalis. & ratio est quia illa cõuersio fundatur super duabus regulis Aristotelis. 2. Peri Herm. prima ab affirmatiua ad negatiuam variatio prædicato penes finitum & infinitum est bona consequentia: vt homo est animal, ergo homo non est non animal: quia alias duo termini contradictorij verificarentur de eodem, vt patet inspicienti, quòd est contra doctrinã nostrã in primi libri cap. 18. secunda regula, à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum, si subiectum supponat, est bona consequentia: vt homo non est lapis ergo homo est non lapis: non tamen valeret, Homerus non est niger, ergo Homerus est non niger: quia subiectum non supponit. his suppositis sequitur conuersio hæc, nam per primam regulam sequitur, omnis homo est albus, ergo non est non albus: & rursus per conuersionem simplicem, ergo omne nõ album non est homo: & tunc per secundam regulam, ergo omne nõ album est non homo, si non album supponat seu existat: & ita de primo ad vltimum, omnis homo est albus, ergo omne non album est non homo. alij in tertia consequentia inter media quæ fuit per secnndam regulam facta, cum dixi, omne nõ album non est homo, addunt & aliquod non album est, quam additionem vocant constantiam, quod est nihil aliud quã dicere quòd ly, non album, supponit: & ideo nos ne constantiã quam ne som-

*ne somniauit quidem Aristoteles) admittamus, modo suprapositio poterimus loqui. Propositiones de extrinseco tempore (nempe quòd est extra præsens indicatiuum) quia nequeunt aptè conuerti nisi barbarè, satius est dicere non posse conuerti, quam in re non vtili frustra in nodo (vt fertur) scyrpum quærere.*

## De modalibus. Cap. 15.

D*Iuisa propositione in categoricam & hypothet cam, rursus categorica diuiditur, in categoricā de inesse & modalem. Modalis in proposito est illa quæ determinatur aliquo horum modorum necesse, impossibile, possibile, contingens: nam verè & falsò cum sint potius propriæ passiones propositionis quam modi extrinseci non faciunt modalem. Propositio vero de inesse, vno modo sumitur vt distinguitur contra modalem, & sic quæcunq; non est modalis dicitur de inesse: alio modo sumitur vt distinguitur contra propositiones de extrinseco tempore, & sic sola præsentis indicatiui est de inesse. vnde obiter sit regula generalis quod omnis propositio de extrinseco tempore dignoscitur sit ne vera an secus, per suam de inesse: verbi gratia, vt videam si hæc est vera, Adam fuit, debeo respicere an hæc de inesse, Adam est, fuerit ali quando vera. Ad veritatem enim propositionis de præterito, requiritur quod sua de inesse aliquādo fuerit vera: ad veritatem verò propositionis de futuro, quod habitura sit aliquando suam de inesse veram:*

*& hoc*

*& hoc obiter adnotauerim ne alibi nos distineat. Dicitur autem modalis, illa quæ determinatur aliquo quatuor prædictorum modorum, quia cum modi dicantur omnia syncategoremata, sola hæc non admittunt regulas vniuersales ad oppositiones, æquipollentias, & consequentias, quas supra posuimus: atque ideo peculiari indigent tractatu. cumq; hi modi dupliciter possint in propositione reperiri, aut nominaliter, aut aduerbialiter, (dicimus enim Petrus possibiliter disputat, & Petrum disputare est possibile,) duplex inde fit modalis. nam vbi modus aduerbialiter sumitur, dicitur modalis diuisa: vbi nominaliter, composita: & in hac infinitiuum cum accusatiuo est subiectum, & dicitur dictum, & modus prædicatum. Diuisæ ferè eandem legem seruant in oppositionibus consequentijs & reliquis eiusmodi, quam reliquæ categoricæ: animaduerso, quod semper modus particularis in contradictorijs mutetur in vniuersalem, & econtra, & obseruentur reliquæ conditiones quas suo loco persequuti sumus: semper præ oculis habendo, necessariò, & impoßibiliter esse vniuersalitates (vt idem diximus:) particularitates verò, posibiliter & contingenter pro posibili captum. Dupliciter enim potest sumi, vno modo generaliter pro eo quod potest esse, & potest non esse: secundo specialiter pro eo tantum quòd potest esse: & hoc modo sumimus in modalibus ly contingenter quo modo conuertitur cum ly posibiliter: nam secundo modo potius est contradictorium de ly, necessario, vt iam iam videbimus, quam subalternum*

*ternum ad illud: primo autem modo non sumitur ferè vnquã à dialecticis. Modalis ergo compositæ veritas attenditur (secundum neotericos) prius penes suam officiantem, antequã termini resoluantur. Sciendum ergo quid sit officians, est autem illa quæ manet remoto modo, & copula principali reducta ad suam de inesse: verbi gratia, huius Petrum disputare est possibile, hæc ly, Petrum disputare, reducta ad de inesse, sic, Petrus disputat, quæ quidẽ debet esse vera iuxta exigentiam modi eius cui officiatur, vt Modalis ipsa sit vera: scilicet, si modus sit possibile, vt in suprapo-sita debet esse possibilis: si neceße necessaria, & sic de singulis. Fundantur autẽ sic opinantes in hoc quòd dicunt, id intereße inter modalem compositam & diuisam, quòd hæc semper facit diuisum, illa compositum sensum: vocant sensum diuisum cum extrema præiacentis verificãtur pro diuersis temporibus, compositum verò cum eadem verificantur pro eodem instanti: præiacens est quæcunq; propositio dempto signo aut modo quo modificatur illa cuius est præiacens: verbi gratia, huius, omnis homo est animal hæc, homo est animal: & huius, hominem currere est posibile, hæc, hominẽ currere, siue hominem eße currentem, quod idẽ esse aliàs ostendimus. itaq; dicunt quòd hæc, album esse nigrum est posibile, est falsa, quia facit sensum compositum, illa verò, album posibiliter est nigrum, est vera, quia facit diuisum sensum: sed tamen cum communis modus concipiendi debeat esse regula certisima in dialectica, opinor tam modalem compositã quam diuisam vtrumq; sensum posse ferè*

*semper*

*ſemper facere: nam certè nemo latinus negabit quod album pannum eſſe nigrum eſt poſſibile, ſiquidē conſequentia hæc bona eſt, hoc eſt album (demonſtrato panno albo) & hoc eſſe nigrum eſt poſſibile (ſcilicet, ſi tingatur) ergo album eſſe nigrū eſt poſſibile: maxime cum ly, poſſibile, ſiue nominaliter ſiue aduerbialiter ſumptum ampliet omnes terminos vt dictum eſt. & ideo meo iudicio aut conſulendæ ſunt aures, aut ſi tunc etiam dubia manſerit, diſtinguenda ſemper illa erit ſiue ſit cōpoſita ſiue diuiſa, atq; adeo ſi dictum in compoſita fuerit commune (vocatur autem commune cum accuſatiuus reddens ſuppoſitum infinitiuo fuerit eiuſmodi) deſcendere ſub illo licet iuxta exigentiam ſui modi, & deinde recurrere ad officiantes. nam cum in oppoſitionibus, dicti etiam quantitas mutari debeat in modalibus compoſitis ſecundum conditiones talis oppoſitionis, vt in diuiſis, certè non video quare immobiliter ſupponat: verbi gratia, ſub hac, omnem hominem diſputare eſt poſſibile, licet ſic deſcendere, ergo Petrum diſputare &c. & Paulum diſputare &c. & deinde quælibet ſingularium poteſt reduci ad ſuam de ineſſe ſeu ad officiantem. An verò ſit conſequentia formalis ab officiante ad ſuam modalem aut econtra non eſt cur plus nimio ſimus ſolliciti: officiantes enim non inuentæ ſunt ad probandas propoſitiones ſed ad eas declarandas. ſano tamen modo valet ſemper talis conſequentia, dum ponatur conſtantia exiſtentiæ propoſitionis de ineſſe dicti: ſed hæc parui ſunt momenti neque multum ad rem. His ergo ſuppoſitis, oppoſitiones & æquipollentiæ*

*modalium*

*modalium compositarum cognoscuntur in his rotulis infrascriptis.*

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Omnē ho* | *Nō disputare nō est possibile.* | *pur* | *omnē ho* | *Disputare non est possibile.* | *Il* |
| *minem* | *nō disputare nō est cōtingens.* | *pu-* | *minem* | *disputare non est contingens.* | *li* |
| *Petrum* | *non disputare est impossibile.* | *re-* | *Petrum* | *disputare est impossibile.* | *a* |
| *aliquem* | *disputare est necesse.* | *a* | *aliquem* | *non disputare est necesse.* | *ce* |

*Contraria*

*Subalterna* — *Cōtradictoria* — *Cōtradictoria* — *Subalterna*

*Subcōtraria*

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *aliquem* | *Disputare est possibile.* | *a-* | *aliquem* | *non disputare est possibile.* | *e-* |
| *hominē* | *disputare est contingens.* | *ma* | *hominē* | *non disputare est contingens.* | *dē* |
| *Petrum* | *disputare non est impossibile.* | *bi-* | *Petrum* | *nō disputare nō ē impossibile.* | *tu* |
| *omnem* | *non disputare nō est necesse.* | *mus* | *omnem* | *disputare non est necesse.* | *li* |

*Vbi notæ sunt Dictiones, Purpurea, Illiace, Amabimus, Edentuli, in quibus cōsonantes nihil significant penitus. Vocaliū tamen significatio hoc versu patet.*

*E. dictum negat. I. que modū, nihil. A. sed. V. totum. Sciendum tamen deinde omnes propositiones eiusdem rotuli inter se æquipollere, superiores contrariari superioribus, inferiores subcontrariari inferioribus, superiores inferioribus per lineam rectam esse subalternas, per transuersam contradictorias: vt ipsamet figura innuit. terminum autē qui reddit suppositum infinitiuo dicti, ideo extra lineas rotulorum posuimus, vt tam communis quam singularis dicti exempla simul proponeremus. Notandū tamen quod cum dictum est commune, semper negatiuum & affirmatiuum debent esse cōtradictoria, scilicet, in eodem rotulo*

*rotulo ut est uidere in rotulis nostris. Aduertendum demum in vno quoque rotulo primam propositionem esse de possibili: secundam de contingenti ut conuertitur cum possibili estq; particularitas: nam specialiter captum, nec est particularitas, nec uniuersalitas, cum resoluatur per ly, possibile, quod est particularitas, & per ly, &, quod est uniuersalitas: resoluitur enim per, possibiliter est & possibiliter non est. Tertia denique propositio semper est de impossibili: quarta de necesse. Pro conuersione autem earum sunt notandæ seqnētes regulæ, prima est, uniuersalis negatiua de necesse conuertitur simpliciter: uoco autem negatiuam de necesse in qua negatur dictum (nam in qua negatur modus æquiualet possibili) quæ uerò est negatiua de possibili, seu contingenti negato, æquiualet negatiuæ de necesse affirmato: & includuntur sub hac prima regula affirmatiuæ de impossibili, quæ æquipollent negatiuis de neceſse de dicto tantum negato. Secunda regula uniuersalis & particularis de dicto & modo affirmatis de necessario seu necesse, conuertuntur illa per accidens in particulares eiusdem qualitatis, hæc simpliciter in eandem. Propositiones tamen de extremis connotatiuis, ut hæc regula teneat in illis, accipiendæ sunt in sensu composito, non in diuiso: nam hæc est uera in sensu diuiso, aliquod album esse hominem est necesse, & tamen hæc est falsa, necesse est hominem esse album. ꝙ si accipiantur eiusmodi propositiones in sensu diuiso, debet poni possibile pro necesse: ita ut conuertens illius sit, possibile est hominem esse albū. tertia regula negatiua, particularis de necesse*

*non conuertitur, nam conuersionem per contrapositionem, nec Aristoteles agnoscit, nec nisi barbarè in modalibus enuntiare ualemus. Quarta, affirmatiua vniuersalis de contingenti vtroq; modo capto conuertitur per accidēs, affirmatiua verò particularis eiusdē modi simpliciter, animaduerso si specialiter sumatur, ne capiantur extrema connotatiua in sensu diuiso, vt supra adnotauimus: non enim valet, Deū creare est contingens, ergo cōtingenter creans est Deus: quia prima facit sensum diuisum, secunda compositum. Quinta, negatiuæ vniuersales de contingenti generaliter capto conuertuntur simpliciter, & per accidens, si idem de extremis cōnotatiuis in his caueatur. Sexta, particularis negatiua de contingenti generaliter capto non conuertitur ratione supra posita in tertia regula: eadem vero de contingenti specialiter capto conuertitur in oppositā qualitatem: æquipollent enim contingens est hominem ambulare & contingens est hoīem non ambulare. Deniq; oēs regulæ de cōtingēti generaliter capto sunt de possibili, eæ uerò quæ dātur pro negatiuis de necesse (voco semp negatiuas aut affirmatiuas eas, quæ habēt dictum tantū negatum aut affirmatum) militāt etiā in affirmatiuis de impossibili: nam necesse nō, ualet impossibile: nō necesse, possibile non: non impossibile, possibile: impossibile non, necesse: vt ex rotulis supra positis elucescit. Hinc versus,*

*Nonq; necesse, valet quantum possibile nonq;.*
*Inde necessum non, ipsum impossibile pollet.*
*Ast possibile sic, non impossibile dicit,*
*Impossibile non, demum ualet usq; necesse.*

*Exemplis*

*Exemplis (quæ cuiuis facillimè licet excogitare) paginas infercire superuacaneum duximus. & hæc de modalibus exactius quam pro nostri instituti breuitate tradita sint propter earum vtilitatem.*

## De propositione de extremis infinitis. Cap. 16.

*De propositionibus de extremis infinitis licet neoterici nihil ferè dicant, aliquid attingere decreuimus, sequuti Aristotelem ita facientem. Sunt ergo hæ, aut de subiecto infinito, aut de prædicato, aut de vtroque subiectum: nunquam propriè infinitatur, nisi negatio mediet inter signum & terminum quem infinitat, vt in hac omne non animal est inanime. Sed inter has & per consequens inter eas, quæ de vtroq; extremo sunt infinito, noluit Aristoteles vllam esse bonam consequentiam: & ideo nec nos cum iunioribus vexabimur in illis. Pro ijs verò quæ sunt de prædicato infinito sunt duæ regulæ: (nam verbum vel nullum est infinitũ in propositione, vt alibi sensimus, vel licet, sit negatur tamen & distribuitur negatiuamq; reddit propositionem,) prima regula, à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum valet consequentia: verbi gratia, Homo est nõ iustus, ergo homo non est iustus. Notandum tamen quòd vt hæc regula in uniuersum teneat, debet caueri ne arguatur à non distributo ad distributũ ex parte verbi extrinseci: ipse me exponam, verbum præsens censetur singularis terminus, ac proinde in illo semper regula tenet, significat enim præsens verbum*

*tempus indiuiduum & insectile: Verba tamen de præterito & futuro per se sine signo supponunt determinatè, siue disiunctiuè. Distribuuntur verò vel à negatione, vel à ly, semper, & similibus: nam per hanc, Adam fuit, nolo dicere quod Adam extitit in toto tẽpore præterito, sed quòd Adam aliquo tempore fuit. Cum verò dico Antichristus non fuit, volo dicere q᷈ Antichristus nullo tempore fuit: & ita exponuntur tam verba de præterito quam de futuro. Vnde non valet, hic homo fuit currens, ergo non fuit non currens: nam casu quo ille homo aliquo tempore cucurrerit, & aliquo sederit, antecedens ex hypothesi est verum, & in eodem casu consequens est falsum: nam innuit quod nullo tempore fuit non currens, idest sedens, cum tamen aliquando sederit, ex suppositione. itaq; aut verbum in antecedẽti debebat distribui, sic, hic homo semper fuit currens, aut in consequenti debebat addi verbo relatiuum identitatis, scilicet, idem, hoc modo, hic homo eodem tempore non fuit nõ currens. Secunda regula est, à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum nõ ualet consequentia, nisi ponatur constantia subiecti, vel quòd nos dicere mallemus, nisi subiectum supponat iuxta exigentiam sui verbi, vt alibi diximus: verbi gratia non valet, Chymera non est homo, ergo Chymera est nõ homo: & ratio est, quia sicut reliqua verba adiectiua diximus posse resolui in substantiuum et suum participium, ita & substantiuum siue secũdum siue tertium adiacens potest resolui in semet et suum participium: verbigratia, Petrus est, sic, Petrus est*

*ens,*

*ens, Petrus est homo, sic, Petrus est ens homo: et ratio est metaphysica. quia ens ita est intimum cuilibet rei ut intra quamcunq; includatur: unde si illa ualeret, Chymera non est homo, ergo Chymera est non homo, cum hæc etiam ualeat (ut ex nunc dictis patet) est non homo, ergo est ens non homo: rursus est ens non homo, ergo est ens, consequens esset falsum, cum Chymera non sit ens, & antecedens uerum, quo dicitur & quod non est ens, & quod non est homo: contra regulas bonæ consequentiæ. Aduertendum etiam in hac, ne arguatur à non distributo, ad distributum, non quidem ex parte uerbi, quia cum negetur in antecedenti nequit non distribui, sed ex parte prædicati: nam semper est defectus maximus in Dialectica ex parte cuiuscunque termini arguere à non distributo ad distributum. Vnde non ualeret, homo animal non est, ergo homo est non animal, etiam supponente subiecto: nam cum prædicatum in antecedenti stet determinatè, descendendo disiunctiuè sub illo, antecedens est uerum, facit enim hunc sensum, homo aliquod animal non est, scilicet equus non est: consequens uerò est falsum, nam prædicatum supponit distributiuè. Notandum enim quod negatio etiam infinitans distribuit terminum in quem fertur, nō tamen alium, quia ut diximus alibi, uirtus eius utraque (negare, scilicet, & distribuere) non transit ultra terminum quem infinitat. Ex dictis sequitur hanc esse ueram, Adam fuit omnis homo, quia ly, homo, nequit resolui quousque resoluatur ly, fuit, stans determinatè: ut in regulis descensus docuimus, sed fortè*

*melius diceretur ly, omnis hō, supponere illic immobiliter, vt nunq̄ possit resolui: nā si resoluta copula, vel eius determinatione subintellecta, resoluatur prædicatū, illa erit falsa, ut patet sic, Adam aliquo tēpore fuit hic hō, (demōstrato Petro) quæ est vna singularis sub illa vniuersali, et est falsa. vel si resoluatur debet in descensu geminari determinatio copulæ, cum relatiuo idētitatis, sic, Adam fuit aliquo tēpore hic homo, qui eodem tēpore fuit. Sed quid opus his ambagibus, quæ obscuriorem reddāt propositionem q̄ ipsa sit, si resolutio illarum ad expositionem est adinuenta?*

## De propositione hypothetica. Cap. 17.

*HVcusq; perenni orationis cursu de Categoricis ꝓpositionibus à nobis est actum, iam verò tempus est ut de hypothetica (quæ altera erat ꝓpositionis spēs) nōnihil dicamus. Huius ergo (nam definitionem eius ante præmisimus) tot sunt spēs quot coniunctionum apud Grāmaticos, reducūtur tamen oēs ad tres: eæ sunt, conditionalis sub qua rationalis & causalis comprehenduntur de quibus aliquid supra tetigimus. copulatiua, & disiunctiua, de quibus omnibus neque meminit quidem Aristoteles, ob id ni fallor, quia eæ quæ sub prima specie cadunt, cum sint argumentationes, potius ad tertiā operationem intellectus (de qua in tertio libro dicendum) pertinere sunt visæ: reliquarum verò duarum passiones, scilicet oppositio, æquipollentia, et conuersio, ac extremorum proprietates, attendūtur per categoricas, ex quibus constant: eum nos sequuti quam minimum in eis immorabimur, dicemusq;*

*cemusq́; de causali, conditionali, et rationali: præter, ea quæ alibi diximus aliqua tantũ, quæ ad veritatem earũ dignoscendam pertinent. pro qua, re statuemus sequentes regulas. Prima ad veritatem cõditionalis illatiuæ affirmatiuæ (dixi, illatiuæ, nam sunt quædam conditionates promissiuæ, ut, si viceris dabo tibi mille aureos, de quibus nihil ad nos, cũ determinatio earum ad iurisperitos potius, vel Theologos pertineat) sufficit & requiritur quod sit bona consequentia: quid aũt sit bona consequentia diximus suo loco: & idem sufficit & requiritur ad falsitatem negatiuæ. Secũdò ad falsitatem conditionalis illatiuæ affirmatiuæ sufficit quod sit mala consequentia, & idem sufficit & requiritur ad veritatem conditionalis negatiuæ. Vnde sequitur primo quod conditionalis nihil ponit in esse: potest enim conditionalis, cuius vtraq; pars sit falsa, esse vera: sequitur secundo quod omnis conditionalis vera est necessaria, & falsa impossibilis: ratio huius est, quia cõsequentia quæ semel est bona semper est bona, et mala econtra. Aiunt moderni, ly, si, quæ facit cõditionalem si iũgit ꝓpositiones, facere etiam categoricã de conditionato extremo cũ iungit terminos tantũ, sic, omne animal si est hõ est rationale, vbi totũ illud, animal si est homo, est subiectum, & de his longam construunt disputationem: sed nos nihil de ijs, nam vt veritas illarum noscatur, reducendæ sunt ad meras conditionales, sic, omne animal si est homo est rationale, si omne animal est homo omne animal est rationale, & quia per supradicta hæc est uera, similiter illa est uera. Modus autem reducendi illas*

cuilibet quantumuis stupido est satis obuius. Tertia regula, ad ueritatem rationalis affirmatiuæ, sufficit & requiritur quod sit bona consequentia, & quod antecedens sit uerum: non addo consequens, nam in bona consequentia, si antecedens est uerum nequit consequens esse falsum: negatiuæ uerò quod uel sit mala consequentia, uel antecedens falsum. at rationalis ineptè potest negari: notandum enim obiter hic est quod ad negationē hypothetycæ oportet negationē ferri in coniunctionem à qua ipsa sumit speciem, quod ut plurimū fit præponēdo negationem cum cōmate toti hypothetycæ: sed de rationali in syllogismis fusius. quarta ad ueritatē causalis affirmatiuæ requiritur et sufficit id quod ad ueritatē rationalis, & pterea quod antecedens sit causa cōsequentis: negatiuæ uerò, quod aliqua harū cōditionū deficiat. iam dixi quoties uoco negatiuas hypothetycas me intelligere de coniūctione negata modo congruè loquamur. & hæc de prima specie hypothetycarū. Secunda spēs earum erat copulatiua, & est illa, cuius categoricæ iunguntur per ly, &, ac, nec, sed, qui, resoluitur enim ly, qui, per ly, & ille: quæ coniunctiones possunt etiam facere categoricam de copulato extremo ut supra meminimus sic: Petrus et Paulus portāt lapidē, Ioānes & Martinus est homo. rursus cum iungit inter terminos sumitur dupliciter, diuisiuè ut in secūda, & tūc semper exigit uerbū singularis numeri & cōplexiuè ut in prima, et tūc semper exigit uerbū pluralis numeri, prima reducitur ad copulatiuā ut patefiat eius ueritas, secūda est merè categorica, & per earū regulas iudicanda, quis

(ut mea

(vt mea fert sententia) sæpe cum verbo etiam pluralis numeri teneatur diuisiuè: imo si aptè loquaris et congruè ferè semper, secunda enim illa loquutio non est ferenda latino homini, & ideo illæ sunt semper distinguendæ aut consulendæ aures, vt sæpè repetijmus: cum verò ly, &, iungit categoricas & facit copulatiuam, tunc vocatur vniuersalitas eo solum quod eadem hypothetica si mutes ly, &; in ly, vel, est subalterna sibi: non econtra. dicuntur enim subalternæ de lege quæ habent legem subalternarum, scilicet, quando vna infert aliam & non infertur ab illa: at subalternans vt aiunt semper debet habere vniuersalitatem quam subalternata mutet in particularitatem, vt supra est annotatum. quinta ergo regula quæ copulatiuarum veritati dignoscendæ deseruit, est huiusmodi: Ad veritatem copulatiuæ affirmatiuæ requiritur quod omnes eius partes quot quot fuerint sint simul veræ: & econtra ad falsitatem & veritatem negatiuæ, exempla semper omittimus ne re satis perspicua paginas suffarcinemus: tertia hypotheticarum species (quam disiunctiuam appellauimus) illa est cuius categoricæ iunguntur per ly, vel, aut, seu, siue, & similia: & hæc possunt etiam facere sicut ly, &, propositionem de disiuncto extremo, & tunc aut complexiuè aut diuisiuè: & teneri complexiuè dicitur cum prædicatum dicitur non de qualibet parte disiuncti seorsum, nam tunc sumitur diuisiuè, sed de toto simul sumpto, vt quidquid est homo vel equus est animal: & hæc acceptio seu loquutio ferè semper est barbara, & vt in plurimum nō differt ab ea in qua sumitur

*diuisiuè, quare de his nihil dicemus ceu impertinentibus, non enim docet dialectica barbare loqui, cum soror sit grammatices & rhetorices, non hostis. in his ergo aures iudicium rectius ferent quam regulæ, cum verò tenetur diuisiuè reducitur ad mere disiunctiuas, sic, homo vel equus currit, homo currit vel equus currit, repetita nempe cum qualibet parte subiecti eadem copula: & ideo ly, vel, eiusdem quantitatis censetur cum sumitur diuisiuè, cuius in hypothetica in quam resoluitur. sit ergo pro veritate huius speciei sexta regula. Ad veritatem disiunctiuæ affirmatiuæ sufficit quòd vna eius pars sit vera, ad falsitatem quòd omnes partes sint falsæ: ad veritatem negatiuæ econtra. oppositiones contradictorias in omnibus his mos est cōstituere per illam cōmunissimā regulam non est melius contradicere quam toti propositioni negationē præponere: sed melius & distinctius per earū categoricas sigillatim nos eas constituemus. Ex his quæ dicta sunt facilè potest ingeniosus quisq; eruere modos seu locos arguendi earum omniū, quod solū in hac materia dicendū restat: verbi gratia, in copulatiua, ab ipsa ad quamlibet eius partē: loquor de affirmatiuis. in disiunctiua econtra, à qualibet eius parte ad totā. in cōditionali, rationali, & causali per omnes regulas bonæ cōsequentiæ quas cap. 8. posuimus. exemplum primi, bene valet, Petrus currit & homo loquitur ergo homo loquitur, & rursus, ergo Petrus currit: & hoc patet per regulā veritatis suprapositam. non tamen sequitur ab vna parte ad totā copulatiuā: sed à parte eius ad totā disiunctiuam sequitur, homo*

*dormit,*

*dormit, ergo homo dormit vel equus vigilat, non econtra. De conditionali superuacuum est addere exempla cum iuxta plures regulas sint plurima, addemus tamen exercitationis gratia decem regulas bonæ consequentiæ quæ ex illis sex quas in cap. 8. docuimus corollariè educuntur. prima, ex vero non sequitur nisi verũ: secunda, falsum non sequitur nisi ex falso: quæ infertur ex prima. prima vero ex prima in loco supradicto posita: tertia ex possibili possibile sequitur, impossibile vero nõ nisi ex impossibili, & sit quarta: quæ duæ ex prima item & secunda deducuntur: quinta ex necessario nõ nisi necessariũ: contingens per sextã non sequitur ex necessario: septima ex falso seu impossibili quãdoq; sequitur falsum quãdoq; verũ, possibile, impossibile, et deniq; necessariũ: & in hoc sensu est verũ quod ex impossibili sequitur quodlibet: octaua necessariũ potest inferri tam ex vero quã ex falso, possibili, cõtingẽti, seu necessario: & sic etiã necessariũ sequitur ex quolibet: nona quidqd sequitur ad cõsequẽs bonæ cõsequentiæ sequitur & ad eius antecedẽs: vt patet de primo ad vltimũ: decima et vltima quidqd repugnat cõsequẽti alicuius bonæ cõsequẽtiæ, repugnat et eius antecedenti: quæ inferĩ ex nona. ex his demum sequuntur quinq; modi arguẽdi in cõditionalibus, causalibus, & rationalibus: primus à tota cõditionali cũ positione antecedẽtis ad positionẽ consequẽtis: secũdus à tota cõditionali cũ destructione cõsequẽtis ad destructionẽ antecedentis: tertius à cõditionali ad disiunctiuã cõpositã ex cõsequẽti et cõtradictorio antecedẽtis: sic, si hõ volat, hõ habet alas, ergo homo habet*

*mo habet alas vel nullus homo volat. Quartus à conditionali ad alteram conditionalem cuius antecedens sit contradictoriũ consequentis prioris, & consequens contradictorium antecedentis eiusdem. sic, si sol lucet dies est, ergo si non est dies, non lucet sol: qui modus fundatur in quadam regula bonæ consequentiæ quæ sic se habet, in bona consequentia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: & hæc infertur ex decima regula suprapositа. Quintus demũ locus est à causali ad rationalem, & à rationali ad conditionalem ex iisdem terminis sola coniunctione mutata, validum est argumentum, non econuerso. exempla quæ aliquid difficultatis habent & apposita semper sunt, & apponentur à nobis deinceps: reliqua breuitatis gratia omittemus semper, instituti nostri memores, cum facile cuilibet curioso sit ea ad libitum excogitare. & hactenus de altera ꝓpositionis specie.*

## De exclusiuis. Cap. 18.

*SVnt inter categoricas propositiones quædam quæ cum ratione alicuius termini obscurum faciãt sensum, necesse habent exponi ne nos decipiant, & ideo exponibiles sunt appellatæ. & licet categoricæ sint quia tamen per hypotheticas exponuntur, ideo eas huc relegauimus in eodem semper suscepti instituti tenore constantes, methodicè, scilicet, & scientificè vt (quantum res patietur) procedamus: nec vnquam accidat vt dicendorum notitiam ad præsentiũ intelligentiam expectemus, sed doctrinæ ordine sequentia*

*semper*

*ſemper præſentia ſupponant, & cum illis neceſſario quodam & indiſſolubili perennis dependentiæ nexu concatenentur. Harum ergo quatuor ſunt præcipuæ ſpecies, excluſiuæ, exceptiuæ, reduplicatiuæ, & de verbo differt, nam illæ quæ ſunt de comparatiuo & ſuperlatiuo clariores ſunt quam vt egeant expoſitione: quæ verò ſunt de incipit & deſinit, & infinito, ſi vel centies exponantur intelligi vix queunt niſi à philoſopho iam prouecto. Excluſiuæ ergo dicuntur quæ modificantur ſyncategorematе tantum, ſolum, & ſimilibus. & harum quatuor etiam ſunt ſpecies purè affirmatiuæ, puræ negatiuæ, affirmatiuæ de modo & negatiuo de verbo, negatiuæ de modo & affirmatiuæ de verbo.*

| | Prima purè affirmatiua. | | Secunda purè negatiua. | |
|---|---|---|---|---|
| Iſ ſe | Tantum homo eſt rationalis. Exponentes. Homo eſt rationalis & nihil aliud ab homine eſt rõnale. | Cõtradictoria | Non tantũ homo eſt rationalis. Exponentes. Nullus homo eſt rationalis vel aliquid aliud ab hoĩe eſt rõnale. | re gis |
| | Contraria | | Subcontraria | |
| | Tertia affirmatiua de modo & negatiua de verbo. | | Quarta negatiua de modo & affirmatiua de verbo. | |
| pro rã | tantum homo non eſt rationalis. Exponentes. Homo non eſt rationalis & omne aliud ab hoĩe eſt rationale. | Cõtradictoria | Non tantũ homo nõ eſt rõnalis. Exponentes. Omnis homo eſt rationalis vel aliqđ aliud ab hoĩe nõ eſt rõnale. | cla uo |

*Prima exponitur per præiacentem & negatiuã vniuerſalem, in qua negatur exponibilis prædicatum de omni alio ab eiuſdẽ ſubiecto, copulatiuè: ſecunda per contradictorias exponentiũ primæ diſiunctiuè: tertia per præiacentem & vniuerſalem affirmatiuam, vbi*

affirme-

*affirmetur prædicatũ exponibilis de omni alio à subiecto eiusdẽ, copulatiuè: quarta per cõtradictorias exponentiũ tertiæ disiunctiuè, vt patet per rotulos earũ suprapositos. notandũ tamen quòd cum extremũ exponibilis fuerit modificatũ à ly, tantũ, numerali scilicet, quando fertur in terminũ numeralem, debet loco de ly, nibil aliud, poni, non plura, & proportionaliter in affirmatiuis, sic, tantũ duo & tria sunt quinq; tria & duo sunt quinque, & non plura quam duo & tria sunt quinque: sed hæc ex sola terminorũ perceptione colliguntur, & tunc dicitur excludere gratia pluralitatis: secus verò gratia alietatis. ad intelligentiam rotulorum oportet aduertere vocales illarum quatuor dictionum iste, regit, proram, clauo, quæ significant quantitatem exponentiũ iuxta versiculos illos supra in cap. 14. positos, asserit. I. negat. E. & c. oppositiones harum ex ijsdem rotulis venari licet. æquipollentiæ, conuersiones, & reliqua per exponentes constituuntur. modus autem arguendi (qui in omnibus peculiaris scopus Dialectici est) in his tenet, ab exponibili ad exponentes & ècontra, ita tamen quod si exponentes sint copulatiuæ seruentur regulæ arguendi copulatiuarum, si disiunctiuæ disiunctiuarum. aduertendum denique quod propositio primi rotuli conuertitur mutuo in vniuersalem affirmatiuam, sic, tantum homo est rationalis, in hãc omne rationale est homo: & ideo dicitur in similibus prædicatum supponere distributiuè, & subiectum confusè tantum, quia in conuertente ita supponunt: sitq; regula generalis ly, tantum, confundere terminum immediatum & distribuere mediatum:*

*diatum: suppositiones enim & reliqua in hisce attendi solent per conuertentes & exponentes. sunt & in his propositiones de excluso extremo, in quibus modus fertur in solum prædicatum, non in copulam, vt Petrus est tantum Dialecticus, quæ proportionaliter etiam exponuntur vt merè exclusiue, per præiacentem & ly, aliud, quod feratur in eum solum terminum in quem fertur ly, tantum, sic: Petrus est Dialecticus, & nihil aliud quam Dialecticus: & similiter eodem tenore seruato exponuntur reliquæ.*

## De exceptiuis. Cap. 19.

*Exceptiuæ sunt quæ modificantur syncategoremate, præter, & similibus: & harum rursus sunt totidem genera quot exclusiuarum: exponuntur autem per tres categoricas vt patet in infrascriptis rotulis.*

| | *Prima purè affirmatiua.* | | *Secunda purè negatiua.* | |
|---|---|---|---|---|
| | *Oē aīal præter hoīem ē irrōnale.* | *Cōtradictoria* | *Nō oē aīal p̄ter hoīem ē irrōnale* | |
| | *Exponentes.* | | *Exponentes. le.* | |
| *la* | *oē aīal aliud ab hoīe est rirōnale.* | | *aliqđ aīal aliud ab hoīe nō ē irra* | *cō* |
| *na* | *& omnis homo est animal.* | | *vel aliquis homo non est animal.* | *me* |
| *te* | *& nullus homo est irrationalis.* | | *vel aliquis homo est irrationalis.* | *ti* |
| *Contraria* | *Tertia affirmatiua de modo & negatiua de verbo.* | | *Quarta negatiua de modo & affirmatiua de verbo.* | *Subcontraria* |
| | *Oē aīal p̄ter hoīem nō ē irrōnale.* | *Cōtradictoria* | *Nō oē aīal p̄ter hoīem nō ē irronale.* | |
| | *Exponentes. le.* | | *Exponentes. le.* | |
| *pec* | *oē aīal aliud ab hoīe nō ē irrōna* | | *aliqđ aīal aliud ab hoīe ē irratio* | *hi* |
| *ca* | *& omnis homo est animal.* | | *vel aliquis homo non est animal.* | *so* |
| *ta* | *& omnis homo est irrationalis.* | | *vel aliqs homo non est irrōnalis.* | *pe* |

*Vbi prima propositio earum quæ sunt in primo & secundo rotulo exponentium, est præiacens exceptiua suprapositæ, cum ly, nihil aliud ab, loco de ly, præter, & in secunda prædicatur subiectum exceptiuæ, quod vocatur terminus à quo fit exceptio, de termino sequente ly, præter, qui dicitur pars excepta, expositiones autem hæ, & quantitas exponentium designantur item vocalibus illarum quatuor dictionum, Lauate, Commoti, Peccata, Hysopo: vna qualibet syllaba vni propositioni correspondente & seruiente, eodem modo quo in exclusiuis explicuimus. Aduertendum autem hic est quod negatio nominalis posita in fronte exceptiuæ non negat signum exceptiuum, sicut nec posita in fronte hypotheticæ negat coniunctionẽ quæ illam cõstituit, quæq; eius est copula. nam hæc, nullus homo currit & auis volat, est copulatiua affirmatiua, vt illic insinuauimus: & hæc nullum animal præter hominem est rationale, non est propositio quarti rotuli sed tertij, & ideo consulto semper in rotulis vtimur negatione aduerbiali. De suppositionibus extremorum exceptiuæ id solum est certum, omnes supponere immobiliter, licet terminus immediatè sequẽs modum distribuatur, non tamen licet descendere aut ascendere sub reliquis: sed probanda est veritas earum immediatè per exponentes. Sciendum vltimo quod tam in exclusiuis quam in exceptiuis modalibus, quando signum exponibile præcedit modum & verbum si exponentes sint oppositæ qualitatis secunda debet dari per modum cõtradictorium ad modum præiacentis: verbi gratia, tantum Deus possibiliter*

*non eſt creatura debet exponi ſic, Deus poſſibiliter non eſt creatura & omne aliud à Deo neceſſario eſt creatura : vbi ly neceſſario contradictorium de ly, poßibiliter, ponitur in ſecunda exponente, & hoc eſt memoriæ commendandum.*

## De reduplicatiuis. Cap. 20.

R*Eduplicatiuæ dicuntur illæ quæ modificantur à ly, in quantum, prout, vt, quatenus, & ſimilibus. & hæc ſigna duplicem ſenſum facere poſſunt : reduplicatiuum, cum denotant cauſam, & ſpecificatiuum, quando ſpecificant ſeu reſtringunt pro ſpeciali forma : vt cum dico color inquantum color eſt viſibilis, quantitas inquantum genus eſt prædicabilis. & hæ exponuntur per ly, ratione, loco de ly, inquantum, vt color ratione coloris, quantitas ratione genereitatis.*

| *Prima purè affirmatiua.* | | *Secunda purè negatiua.* |
|---|---|---|
| *Oīs hō inquātū rōnalis eſt riſibilis.*<br>*Exponentes.*<br>*omnis homo eſt rationalis.*<br>*& qa aliqd eſt rōnale ipſum eſt riſibile.* | *Cōtradictoriæ* | *Nō oīs hō inquātū rōnalis ē riſibilis*<br>*Exponentes.*<br>*aliquis homo non eſt rationalis.*<br>*vel nō qa aliqd ē rōnale ipm ē riſibile.* |
| *Contrariæ* | | *Subcontrariæ* |
| *Tertia affirmatiua de modo & negatiua de verbo.* | | *Quarta negatiua de modo & affirmatiua de verbo.* |
| *Oīs hō inquātū rōnalis nō ē riſibilis.*<br>*Exponentes.*<br>*omnis homo eſt rationalis.*<br>*& qa aliqd e rōnale ipm nō eſt riſibile.* | *Cōtradictoriæ* | *Nō oīs hō inquātū rōnalis nō ē riſibilis.*<br>*Exponentes.*<br>*aliquis homo non eſt rationalis.*<br>*vel nō qa aliqd ē rōnale no eſt riſibile.* |

*Illæ verò cum ſint vt exceptiuæ in quadruplici differentia: prima & tertia exponuntur copulatiuè, per vnam propoſitionem eiuſdem quantitatis cum exponibili, habentem pro prædicato terminum reduplicatum (id eſt qui ſequitur immediatè ſignum reduplicatiuum) & pro ſubiecto ſubiectum exponibilis, & alteram cauſalem eiuſdem qualitatis cum exponibili, habentem pro ſubiecto terminum tranſcendentem, aliquid. ſecunda per contradictorias primæ, quarta tertiæ, vtraq; diſiunctiuè: vt infraſcriptis rotũlis more noſtro omnia ob oculos ponemus, quæ ad expoſitionem reduplicatiuarum faciunt. ſed forte melius darentur ſecundæ exponentes per ipſummet ſubiectum exponibilis, & ita ſufficeret vna illa exponens, non tantum loco ambarum ſed & loco omnium quatuor, per quas neoterici reduplicatiuas exponunt. Atqui ſubiectum in his ſemper ſupponit ſecundum exigentiam ſignorum quibus alligatur. terminus reduplicatus nempe qui ſequitur immediatè ſignum exponibile immobiliter; prædicatum autem ſupponit confuſè tantum.*

## De propoſitionibus de ly differt. Cap. 21.

*VLtimum genus exponibilium quas exponere ſuſcepimus ſunt eæ quæ habent pro copula ly, differt, quarum duplex duntaxat eſt genus, affirmatiuũ & negatiuum: primum neoterici volunt exponi copulatiuè per duas propoſitiones denotantes exiſtentiam*

*extre-*

*extremorum, & tertiam in qua prædicatum exponibilis negatur de eius subiecto: secundum vero per contradictorias harum disiunctiuè. fundanturq; hæ expositiones in sententia Aristotelis. 10. Metaphysices dicentis quod nō enti nihil est idē neq; diuersum. Sed cum ex illis expositionibus absurdissimæ propositiones verificentur, satius meo iudicio est exponere illas per solam tertiam exponentem, vt ly, differt, amplè sumatur. Nam si strictè & propriè sit sumendum secundum Aristotelem hæc esset vera, quantitas non differt à substantia, ego non differo à patre meo etiam viuo, quia differre vt in primo libro diximus illa sola propriissimè dicuntur, quæ per differentias essentiales distinguuntur: Quod quidem verum est in illa peculiari materia, & apud metaphysicos: in communi tamen modo loquendi quem semper obseruare debet dialecticus, non ad viuum omnia sunt resecanda: esset quippe aliàs (quod est in prouerbio veteri) summum ius summa iniuria. Nam certè si supradictæ expositiones sustineantur, hæc (quod aures verentur audire) erit vera, Christus non differt ab Antichristo, vt patet per secundam exponentem: scilicet vel Antichristus non est, quæ est vera, & cum sit pars disiunctiuæ, totam disiunctiuam reddit veram: & credo non tutum esse ita loqui in fide: ideoq; persto in mea opinione quòd securius sit exponere huiusmodi per solam tertiam exponentem. non enim aduersatur Dialectica sed ancillatur Theologiæ, & veritas semper consonat veritati, vnde ad autoritatem Aristotelis potest responderi non*

*bene dictum eius allegari, ait enim ipse quòd idem & diuersum de solis entibus dicuntur, nō tamen ait quòd ens non differat à non ente. oppositiones harum eodem modo se habent sicut in alijs categoricis, loci arguendi sunt: primus ab exponibili copulatiuè ad quamlibet exponentem, non econtra: secundus ab exponentibus simul sumptis ad exponibilem, sed nos & hos & alios (quos multiplicare alij solent) vnico includimus secundum nostram opinionem nempe ab exponibili ad exponente, & econtra. est enim vnica exponens. & hæc de exponibilibus.*

## De insolubilibus. Cap. 22.

*FVit non parua circa priscos etiam autores & celeberrima velitatio de propositiouibus insolubilibus, seu reflexiuis, quas Græci διλήμματα vocant: quam ob causam non abs re duximus forè si nonnulla de illis perstrinxerimus. Est ergo (vt vulgo finiunt) propositio insolubilis illa quæ vtrinq; capit aduersarium, vt illa de qua Cicero paucis, ego mentior, si nondū aliquid aliud protulerim, aut exin proferam. nam rogo cum illam ita profero verum ne dicam an falsum? si verum ergo ita est sicut dico, & dico quod mentior, ergo dico falsum, mentiri enim est falsum dicere. rursus dico falsum? ergo non ita est sicut dico, sed dico quod mentior, non ergo mentior sed dico verum. item, hæc propositio est falsa, pronomine demonstrante illammet propositionem cuius est pars, rogo enim num illa propositio sit vera an falsa? si primum*

des,

*des, ergo ita est sicut per illam significatur, significatur autem quod est falsa. si secundum, ergo non est ita sicut per illam significatur, at significatur quod sit falsa. Propositionum reflexiuarum iuniores plures faciunt species, nempe, se falsificantem, se impossibilitantem, destruentem suam possibilitatem, suam necessitatem, suam contingentiam, &c. quas non est certo numero comprehendere. propositio se falsificans est illa (aiunt) ad cuius veritatem consequitur vt sit falsa: vt ostendimus abunde in exemplis suprapositis. se impossibilitans ad cuius possibilitatem consequitur vt sit impossibilis: vt, hæc est impossibilis. & proportionaliter definiunt reliquas. Vnde inferunt quod in reflexiuis possunt dari duæ contradictoriæ simul falsæ, licet non simul veræ: nempe hæ, hæc propositio est falsa, hæc propositio nõ est falsa, pro nomine vtrobiq; demonstrante primam: quia prima inquiunt est falsa, quia se falsificat, & secunda quia significat primam non esse falsam, cum sit falsa. concedunt subinde in his dari bonam consequentiam, cuius antecedens sit verum, & consequens falsum: contra illam regulam ex vero non nisi verum. & exemplum subdunt in hac, hoc consequens non est verum, ergo hoc consequens non est verum: vtrobiq; demonstrante pro nomine consequens, quod (aiunt) est falsum cum se falsificet, & antecedens est verum, cum significet ita esse sicut est: scilicet consequens non esse verum. & denique omnes syllogisticas regulas inuertunt in reflexiuis. Sed quid mirum? cum prima principia etiam negent, quorum præcipuum apud omnes philosophos*

*ſemper fui; duas contradictorias neq; poſſe eſſe ſimul veras neque ſimul falſas, vt facile ex illo primo omnium & communiſsimo principio, quodlibet eſt vel non eſt, deducitur. & quod magis mirere ſunt in hac opinione doctiſſimi alioqui viri ferè omnis ætatis. ſed certè ipſe (præfato honore tantorũ virorum) nunquã auderem negare illa principia, eſt enim inuertere & dialecticam & omnes ſcientias, leuibus de cauſis: atque adeò communem modum concipiendi. atq; hoc mihi maximo eſt argumento errare (ſi dicere liceat) eos qui hæc aſtruunt, accidere nempè illis ex minimo (quod videbatur in principio) errore, in tot quot enumerauimus eſſe prolapſos. Veritas enim, (vt non ſemel diximus) veritati ſemper conſonat. inuenienda ergo eſt via qua minimo diſpendio ſui, veritas defendi ſemper poſsit. & ea de cauſa (vt ſemel dicam quod ſentio) certè ego ad omnia inſolubilia vnico verbo reſponderem, ea neque eſſe vera neque falſa: quod ſi inſtes, diffinitio propoſitionis eſt quod ſignificet verè vel falſò, illæ reflexiuæ ſunt propoſitiones, ergo vel veræ vel falſæ: Reſpondebo negando minorem, illæ enim non ſunt propoſitiones, ſed orationes imperfectæ: nam certè qui audit illam propoſitionem, hæc propoſitio eſt falſa, nulla alia audita, vtiq; neq; concipit te verum dicere neq; falſum, ſed expectat auidus quid nam vltra loquaris, vt experimento conſtat. cuius ratio eſt quia cum nihil ſit ſignum ſui vt ex diffinitione ſigni (nempè ſignum eſt quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliquid aliud facit in mentem venire) ſecundum Auguſtinum patet, nullatenus*

*latenus pronomen in illa potest se referre, vel categoricam cuius est pars, quod idem esset, se enim in illa referret, & signaret. & non solum illud pronomen nequit supponere pro sua categorica, sed nec vlla pars propositionis pro ea propositione cuius est pars eadem ratione. Sed primum illud argumentum pro hac nostra opinione & fortius est & communius minusq; cauillis obnoxium. Hæc ita protulerim vnus (quod sciam) contra grauissimorum autorum turbam audacter, non nouitatis aut æmulationis studio à quo longe certè semper hic animus abfuit, sed rationis vi, libertatem ingenuè ministrante. nequeo enim adduci vt cum liceat illæsa omnia principia relinquere, neque multum difficili responsione dubijs huiusmodi abunde consulere, illa sacrilego ausu temerem, ne ab alijs discedam, in nullius verba iuratus. qua coronide secundum tandem librum claudere, ipsa me res & subiecta materia videntur admonere.*

# LIBER TERTIVS DE SYLLOGISMO IN GENERE.

## Proœmium & de subiecto huius libri. Cap. 1.

*EVENIT mihi prorsus, quod nō admodum expertis nautis, accidere nonnunquā solet, qui cum oram soluerint quamuis quo longius à terra prouecti fuerint, eò magis magisq; quo properant semper appropinquent, vndarum tamen vastitatem & periculorum (cum iam maria vndiq; & vndiq; cœlum) magnitudinem pensitantes, portum suspirant relictum, & quem petunt minus se consequi sperant quam cum profecti nondum à primo fuerant. Quò enim ipse à carceribus (quod aiunt) huius mei cursus longius emico, multò sese mihi maior pelagi aperitur vastitas, non secus ac è puteo aliquo altissimo sensim exilienti, quo ori fit propior, latius ei panditur cœlum, donec tandem immensa illa elementorum moles quæ ad prospectus & putealis orificij angustam mensuram antea coarctari videbatur, vndiq; oculis nullo obstante sese offuderit. eò tamen nobis fortius ad metam est annitendum, quò magis tot marium interpositione ab oculis illa se nostris subtrahere velle videtur: ne labori in porta succumbentes*

reliquos

*reliquos ab instituto exemplo nostro deterreamus. Est ergo iam nobis in oculis tertius liber qui de collectione, seu argumentatione tertia demum & ultima intellectus operatione differet: nam & si iam ante oppositiones de ipsa deq; inductione eius specie non abs re scripserimus, de nobiliori tamen eius specie, quæ syllogismus est sermonem inituri, non insulsè de tertia nostri promissi parte nos acturos absolutè præfabimur. Sit ergo institutũ nobis hoc in loco syllogismum in genere describere, ad eius singulas species singulis postea voluminibus descensuris.*

## De syllogismi diffinitione. Cap. 2.

*Solet hic ante omnia omnis logice in inuentionem & iudicium, sicut & qualibet alia ars, diduci: primæ parti attribunntur duo hi quos præmisimus libri cum Topico, qui nobis quintus erit: posteriori verò hic quem adornamus nunc nunc scribere, et is quẽ quartum facimus de Demonstratione. sed ut rem longissimam paucis de more absoluam, opinor sanè quãlibet Dialectices partem seorsum sumptam vtrumq; illius diuisionis membrum in se complecti, exemplo aliarum artium in quibus idem artifex, qui facit opificium, quod est inuentionis, per easdem regulas per quas id conficere didicit et confecit, iudicat sit ne bene id elaboratum an secus: & ita qui discit inuenire genus per artem prædicamentalem, aut veritatẽ propositionis per librum proximè præcedentem, eadem prorsus norma qua ad illa inueniẽda vtitur, vtitur et*

*ad*

*ad iudicandum rectè, ne ipse aut alius inuenerit nec ne: & ita in reliquis huius scientiæ partibus sigillatim licebit inspicere. Hinc facillimè soluitur alia non minus importuna de ordine horũ librorum quæstio: ratio enim dubitationis est, quòd cum inuentio prior ordine sit iudicio, videtur quòd deberet liber Topicus quem nos quintum fecimus, tertium hunc (vt ipsi aiunt opinantes) iudicialem præcedere: sed de hoc fusius alio loco differemus. His præmonitis vt à finitione subiecti nota & instituta ratione incipiamus. Syllogismus est (vt Aristoteli placuit) oratio in qua quibusdã positis aliud quiddam ab his, quæ posita sunt de necessitate accidit, eò quòd hæc sunt. Est autem id (vt expressius idem dicamus) oratio in qua duæ propositiones ita disponuntur, vt necessario inde alia propositio, quæ neutra sit illarum ex terminis ipsarum constans inferatur. vocanturq; illæ duæ propositiones alijs nominibus præmissæ, et antecedẽs: quarum prima maior, altera minor, licet non inuiolabili ordine dicuntur: vt alibi docuimus. ea verò quæ ex ijs infertur conclusionis & consequentis nomina sibi vendicat, apud philosophos nostræ ætatis, apud Ciceronem & eius sequaces intentio appellatur. at nos sentire quidem cum paucis antiquissimum semper habuimus, loqui autem cum multis, vt à multis intelligamur: atque ideo Cicerone ad præsens relicto, & sermonis delicijs valere iussis, scholæ morem insequemur, ne singulares (vt nostræ tempestatis viri alioqui non contemnendi, qui id non satis fœliciter tentarunt) indicemur. & syllogismus quidem (vt ad*

*rem*

*rem redeam) dupliciter sumitur, vno modo pro solis præmissis, & ita sumitur in præiacta diffinitione, alio modo pro illis & conclusione simul: sed prima acceptio proprior est, & vsitatior, qua ideo maximè nos vtemur: & hæc de syllogismi diffinitione, qui vt omnis alia res duabus constat partibus essentialibus materia & forma, de quibus ordine dicemus.*

De eius materia & forma. Cap. 3.

*Est syllogismorum materia illa ex qua constant, quæ est duplex, remota & propinqua: remota in vtraque acceptione syllogismi sunt termini, & propinqua propositiones quibus conficiuntur: in hunc enim vsum libros duos huic præposuimus, vt materiã syllogismorum præpararemus ministraremusq́;. Constat ergo omnis syllogismus primo modo acceptus tribus terminis & duabus propositionibus voco autem terminos extrema propositionum subiectum, scilicet & prædicatum. Sed quia tres termini conficere nequeunt duas propositiones (vt consideranti patet) nisi quispiam illorum bis sumatur: ideo vnus eorum vtrãq; præmissam ingreditur, qui & vocatur mediũ: alius vero terminus, qui solã maiorẽ ingreditur, maior extremitas dicitur: qui minorem minor: quorum connexio & habitudo ad medium, forma syllogistica est. conclusio quæ pars syllogismi, secundo modo sumpti est, debet semper habere pro subiecto minorem extremitatẽ, pro prædicato maiorem, mediante antecedentis copula: vt in hoc syllogismo omnia videre licet: omnis homo est animal, omne risibile*

est

*est homo, ergo omne risibile est animal: vbi ly, homo, medium, sumitur quippe bis, ly risibile, minor, ly animal maior sunt extremitates. Et syllogismi qui huiusmodi inferunt conclusionem dicuntur concludere directè: qui verò concludunt econtra minorem extremitatem de maiori, dicuntur concludere indirectè. Syllogismi in secunda acceptione, materia remota, est eadem quæ in prima: & propinqua differt solum quod illius sunt duæ propositiones, huius verò tres, vt ex dictis colligitur. forma verò est illatio, hoc est cohærentia illa necessaria & dependentia conclusionis à præmissis, quæ duplex est: simpliciter necessaria & constituit primam speciem syllogismi, scilicet demonstrationem: & ex suppositione necessaria, nempe si præmissæ sint veræ (quando sunt tantum probabiles) & constituit aliam speciē syllogismi Topici aut Dialectici: de quibus sigillatim suo loco agemus. Sed vt qualibet forma naturalis præ requirit certas dispositiones in materia, vt introducatur, ita & syllogistica: sunt autem dispositiones hæ in duplici differentia, aliæ propinquæ, nempè modi: aliæ remotæ nempe figuræ. Falluntur autem plurimi, & in ijs viri doctissimi has opinantes esse formam ipsam syllogismi, cum sint dispositiones ad illam. Vnde (ni fallor) emanauit error alius huic propinquus, qui non pauciores hactenus tenuit, credentes demonstrationem, & topicum non esse species syllogismi, quippe quos sola materia diducat, in forma (quam ipsi modum & figuram faciūt) concordes. Quibus erroribus occæcati, nec ordinem & methodum Aristotelis in hac arte mysterijs refertum,*

*tum, nec genium quendam, ac plus penè quam humanum quempiam spiritū per omnia eius opera occultè commeantem tenere potuerūt: nec primoribus) quod aiunt) labijs degustarunt. Qui si penitius rem & oculatius perspexißent mutaſſent forte opinionem, scientes syllogismi formam aliter & aliter dicti, aut solam esse illationis vim, per cuius distinctionē species quoque eius modo partiebamur: aut medij cum extremitatibus cōnexionem quam non est, qui dubitet, necessariam quandoque, probabilem sæpius reperiri, similemq; inde sui cōclusionem parere: nec enim poſſunt philosophi homines dubitare, rem in specie per formā à qua est id quod est, non per materiam constitui. minus etiam obstat easdem dispositiones à formis distinctis, idem tamen genus diducentibus prærequiri, dum non tantum illæ, sed præter eas aliæ atq; aliæ ab alijs & alijs expetantur. Sic Demonstratio & Topicus syllogismus easdem figuras & modos prærequirunt, vltra has tamen demonstratio neceſſitatem præmiſſarū exposcit, nō solum formalem quam nuper dicebamus, sed & materialem, videlicet neceſſitatē veritatis propositionum, de quibus singulis postea: Topicus vtrāq; (vt ita dixerim) probabilitatem tantum desiderat. Hæc aliquanto fusius sumus exequuti, & contra morem nostrum philosophicè nimis, tum quia hoc nō tam ijs qui addiscere, quam qui iudicare velint scribi oportebat, ne candido lectori (cui omnem reliquum laborem insumimus) quippiā offendiculo poſſet eſſe: tum quia (quod sine inuidia dicere liceat) nusquam huius tam non contemnendæ veritatis, vel scintillam inuenire*

*nire*

*nire potuimus : cunctis ferè post præceptorum & maiorum uestigia, uel oculis (quod aiunt) clausis, cursitantibus. nec pigebit quenquam non nimis delicati stomachi in hac re, quæ totius est syllogisticæ artis basis & fundamentum, paululum immorari: nè (si probare sibi importunum hunc nostrum laborem non possit) in dicta causa damnare velit, nec despero dũmodo patienter perlegat, gratũ saltem animum, vigilijs nostris non inane præmium apud liberas aures. nam et audacia in magnis frustra etiam affectata sua laude carere non solet.*

De figuris modis & eorum sufficientia.
Cap. 4.

*Figura est materiæ remotæ (quæ vt supra patuit est triplex medium, scilicet & extremitates) recta dispositio, & quia hæc tribus modis variari potest: ideo sunt tres figuræ, prima in qua mediũ suum obtinet locum, scilicet medium, in maiore subiecti, in minore prædicati, vel econtra: quod addiderim, quia hæ præmissæ omnis homo est animal, omne animal est substantia, optimè inferunt ergo omnis homo est substantia: indirectè. & quoniam neq; Aristoteles huius meminit, neque ideo reliqui auctores credo, quia eosdem modos habet quos prima figura, nos item ex vtraque primam statuemus, cum vtraq; certè (quod miror paucos aduertisse) ad disputandum sit aptissima: Secunda in qua medium in vtraque præmissarũ prædicatur de extremitatibus. Tertia in qua in vtraque*

*vtraque subijcitur illis, neque vllo alio modo quam his quatuor (quia tres tantum constituunt figuras: & ideo tres dicuntur) variari potest dispositio materiæ remotæ. Pro quibus vt memoriæ infigantur est versus:*

*Sub.præ.prima, secunda bis præ. tertia, bis sub.*

*Modus est materiæ propinquæ syllogismi, (scilicet propositionum) secundum quantitatem et qualitatem recta dispositio: quæ quia.16.modis in qualibet figura potest variari.48. modi essent ponendi. quia tamen inter illos sunt plures inutiles, idest nullam possunt inferre conclusionem: statuemus principia quibus regulari debent habiles præmissæ, & reijci inhabiles, si prius subiecerimus variationes omnes possibiles duarum propositionum, secundum qualitatem & quantitatem, vtentes literis. A,e,i,o. pro signis variationis earum, vt in conuersionibos fecimus: vt breui compendio totam ferè syllogisticam artem tabella exprimamus.*

*Prima*

| | Prima figura | | Secũda figura | | Tertia figura | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Aa | Barbara | Baralipton | | | Darapti | |
| ae | | Fapesmo | Camestres | Faresmo | | Fapemo |
| ai | Darij | Dabitis | | | Datisi | |
| ao | | | Baroco | | | |
| Ea | Cellarent | Cellantes | | | Felaptō | |
| ee | | | | | | |
| ei | Ferio | | | | Ferisón | |
| eo | | | | | | |
| ia | | | | | disamis | |
| ie | | Frisesomorũ | | Firesmo | | Fipemo |
| ii | | | | | | |
| io | | | | | | |
| oa | | | | | Bocardo | |
| oe | | | | | | |
| oi | | | | | | |
| oo | | | | | | |
| | directè | ĩdirectè | directè | ĩdirectè | directè | ĩdirectè |

*Hic vides ex.48.combinationibus.23.tantum nominibus insignitas: quarum.14.sunt pro concludentibus directè, reliquæ pro indirectis: vt ex ipsa serie tabellæ patet. & vt facilius memoria teneantur ex quæ sunt vtiles, sunt alio ordine quatuor versibus comprehensæ, hi sunt qui sequuntur.*

*Barbara, Cellarent, Darij, Ferio, Baralipton.*
*Cellantes, Dabitis, sapesmo, Frisesomorum.*
*Cæsare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti,*
*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

*In quibus.19.tantum sunt, eò quòd, sapesmo & frisesomorum, indirecti primæ figuræ vagantur per omnes tres: & ideo sub illis nominibus intelliguntur: nos autem claritatis gratia in tabella nostra paucis mutatis, seorsum exposuimus. in his omnibus nominibus sunt tres syllabæ, præterquã in Baralipton, & Frisesomorum, in quibus carminis causa superfluũt reliquæ. prima ergo syllaba denotat maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem, cum quantitate & qualitate earum, ad modũ expositum: vt facile est per exempla videre. Sed vt demonstremus sufficientiam horum modorum, primo omnium aliorum inhabilitatem quibusdam regulis & principijs ostendemus, deinde horum efficaciam suis etiam rationibus asseremus. Pro primo ergo sunt tales regulæ vniuersales: Prima, ex purè negatiuis nihil sequitur in vlla figura: per quã redduntur inutiles in singulis figuris quatuor modi qui sunt.ee.eo.oe.oo.omnes numero.12. quibus ablatis à.48.remanent.36.Secunda regula ex puris particularibus (sub particulari semper comprehen-*

*ditur indefinita) nihil ſequitur: vnde redduntur inutiles.ii.io.oi.in ſingulis figuris, omnes numero.9. quibus à 36. demptis.27.reſtant. non addo.oo.quia per præcedentem regulam iam excluſus eſt. Sunt itidem pro ſingulis figuris aliæ regulæ quas ideo particulares vocamus: prima, in prima & ſecunda figuris maiori exiſtente particulari directè nihil ſequitur: vnde excluduntur.ia.ie.oa.oe.in his duabus figuris, omnes numero.6.reſtant ergo.21.nam, oe, iam per primam vniuerſalem exceptus eſt, quamuis.ie.quidem concludit indirectè in omnibus figuris, vt eſt videre in tabella, & facit modos Friſeſomorum, Fireſmo & Fipemo. ſecunda, in prima figura directè & in tertia nullo modo minore exiſtente negatiua quicquam ſequitur: vnde, ae.ie.ao.excluduntur, ſed.ae.indirectè concludit in prima figura.ie.in vtraq;.ao.in neutra. itaq; excludūtur per hāc.6.directi, remanentq;.16. directè concludentes. tertia ex purè affirmatiuis in ſecunda figura nihil ſequitur vnde excluditur ſolus .aa.pro illa (nam.ia.per primam regulam particularem eſt exceptus) &.ai.omnes numero duo: quibus exceptis.a.16. remanent omnes concludentes directè.14.modi. nempe, Aa.ai.ea.ei.pro prima. Ae.ao. ea.ei.pro ſecunda. Aa.ai.ea.ei.ia.oa.pro tertia figuris. Pro concluſione etiam dantur quatuor regulæ generales, & tres particulares prima generalis: ſi aliqua præmiſſarum fuerit particularis, concluſio debet eſſe particularis. ſecunda ſi aliqua præmiſsarum fuerit negatiua, concluſio etiam erit negatiua. tertia medium nunquā debet intrare concluſionem. quarta*

*ſemper*

*ſemper cõcluſio ſequitur debiliorem partem, id eſt ſi vna præmiſſarum fuerit neceſſaria, & alia poſſibilis, concluſio non erit neceſſaria, ſi vna vera altera falſa, non erit vera: prima regula particularis, in ſecunda figura concluſio debet eſſe negatiua. in tertia (quæ ſit ſecunda regula) ſemper particularis. in prima (quæ ſit tertia) qualibet poteſt concludi.*

## Quod nec plures ſint nec pauciores. Cap. 5.

ET *quamuis his regulis ſufficienter oſtenſum ſit non plures eſſe poſſe combinationes inutiles ad ſyllogizandum quam prænominatas, ad euincendam tamen proteruiam eorum qui id ſecus eſſe contenderint, ſunt duo principia irrefragabilia, vnde erutæ ſunt regulæ ſuprapoſitæ: ea ſunt dare terminos in quibus omni, & dare terminos in quibus nulli: quorum germanus ſenſus (quamuis multifariam ſoleant explicari) is nihilominus (ni fallor) eſt qui ſequitur. Dare terminos in quibus omni, eſt reuincere aliquas præmiſſas datas ex omnibus illis combinationibus inutilibus, nullam poſſe inferre concluſionem negatiuam: id fit ſi capias tres terminos conuertibiles, vt, homo, riſibile, rationale: aut duas ſpecies ſub eodem genere quarũ vnam ſumas pro medio ſic, equus, homo, animal: aut terminos duos cõuertibiles pro extremitatibus & repugnantẽ pro medio*

*ſic, homo, lapis, rationale: è quorum duobus componas vniuerſalem affirmatiuam veram, quo facto ex iiſdem cum reliquo pro medio conſtituas duas præmiſſas eiuſdem qualitatis & quantitatis ac figuræ, cuius ſunt illæ quas aduerſarius vtiles contendit ad inferendam concluſionem negatiuam: verbi gratia, velit quiſpiam contendere has in prima figura, omne animal eſt ſenſibile, nullus lapis eſt animal, bene poſſe inferre hanc negatiuam, nullus lapis eſt ſenſibilis, per Ae. combinationem inutilem directis primæ figuræ: euincam illas inhabiles eſſe ad eam inferendam ſic, in ſimili forma: & primo ex illis terminis ſuprapoſitis nempè equus, homo, animal, facio hanc propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, omnis equus eſt animal, quam negare nemo poteſt veram, hanc vbi dederit, conſtruo has præmiſſas ex iiſdem, omnis homo eſt animal, nullus equus eſt homo, quæ ſtant in veritate cum ſuprapoſita vniuerſali, tunc cogam aduerſarium ex his præmiſſis inferre negatiuam quam velit, ſi particularem illa erit contradictoria vniuerſalis ſupra conceſſæ veræ: ſi vniuerſalem contraria: & tunc inſtabo ſic, per eum illa eſt bona conſequentia & antecedens eſt verum, ergo & conſequens erit verum, & ſua contradictoria vel contraria item erat vera, ergo vel dantur duæ contradictoriæ aut contrariæ veræ: aut conſequentia illa non eſt bona quod erat intentum. Proportionaliter dare terminos in quibus nulli, eſt reuincere duas præmiſſas datas nullam poſſe inferre affirmatiuam: quod fit, conſtruendo item ex tribus terminis vniuerſalem*

*negatiuam,*

*negatiuam, & duas item præmißas similis formæ cum datis ab aduersario, quæ stent in veritate simul: pro quo sumendi sunt aut tres termini disparati vt, homo, lapis, color, aut duo termini disparati pro extremis, & genus species vel conuertibilis alterius pro medio, vt lapis, albedo, color: verbi gratia in exemplo suprapofito si vis etiam ostendere dictas præmissas nullam affirmatiuam nedum negatiuam inferre posse, construe hanc negatiuam (nullus lapis est color) veram, & tunc has item præmissas, omnis albedo est color, nullus lapis est albedo, deinde infer quam velis affirmatiuam, aut enim erit contradictoria si particularis, aut contraria si vniuersalis illius primæ negatiuæ præconcessæ veræ: & similiter in reliquis combinationibus inutilibus sigillatim operare: quod vitandæ prolixitatis gratia nos facere supersedemus: eò tamen temperamento si in prædictis vtare, vt cum, verbi gratia, ad dandum terminos in quibus omni, tres terminos conuertibiles sumpseris neq; successerit, tunc temporis te conuertas ad duos conuertibiles & medium disparatum, vel ad genus & duas sub eo species, vt nos supra fecimus. non enim omnia omnibus pari filo conueniunt, vt est in prouerbio veteri. & per hunc modum à posteriori licet demonstrare inhabilitatem omnium inutilium modorum in supra posita tabella contentorum, ac per consequens sufficientiam vtilium breui nec difficili inuentione.*

## De habilitate eorum. Cap. 6.

*ET postquam insufficientiam omnium aliorum modorum præter decem & nouem iam demonstrauimus: restat nunc horum non solum sufficientiam sed habilitatem etiam & vim ostendere: quod sic fiet. Syllogismorum alius perfectus, alius imperfectus: Perfectus est qui se solo & sine alterius adminiculo concludit & elicit assensum audientis: vt sunt quatuor primi modi primæ figuræ. imperfectus qui alio vel alijs eget ad suam euidentiam manifestandam quales sunt reliqui quindecim. pro cuius intelligentia oportet præscire, quod perfecti innituntur duobus principijs per se notis quæ vocãtur, Dici de omni, & Dici de nullo: primum deseruit, Barbara & Darij: alterum, Cellarent, & Ferio. Est autem, Dici de omni quando nihil est sumere sub subiecto propositionis affirmatiuæ de quo non verè dicatur prædicatum vt in omni vniuersali affirmatiua, verbi gratia, omnis homo est animal, nihil enim potest sumi sub homine de quo non verè dicatur animal, & ita si quis negaret hanc consequentiam, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, probabis ei illam esse euidentem per, Dici de omni hoc modo: est mala consequentia? ergo datur antecedens verum & consequens falsum per regulam superius à nobis positam, sed ego probo quod si antecedẽs est verum, consequens nequeat esse falsum, sic, de quocunq; sumpto sub subiecto vniuersalis affirmatiuæ veræ, verè dicitur prædicatum, sed homo in prædicta*

*dicta consequentia est sumptum sub subiecto maioris, scilicet animali, ergo de eo verè dicitur prædicatum, scilicet substantia, quod significat conclusio, ergo & consequens nequit non esse verum, erat ergo illa bona consequentia: & eodem modo probabis euidentiam Darij. Dici de nullo est quando nihil est sumere sub subiecto vniuersalis negatiuæ de quo nō verè negetur prædicatum, vt fit in omni vniuersali negatiua vera quæ est maior in duobus modis perfectis negatiuis, sicut vniuersalis affirmatiua in affirmatiuis, & regulantur per, Dici de nullo, hi duo modi negatiui eodē modo quo per, Dici de omni, affirmatiui. Atq; adeò inde prima præmißarum dicitur maior, quia semper in his sub illa sumitur secunda, quæ & ideo minor dicitur, siue subsumptio, aut assumptio, vt patuit in exemplo suprapostito.*

De reductionibus. Cap. 7.

*SYllogismi imperfecti fundantur in his quatuor perfectis, ad quos proinde debent reduci, vt euidentia eorum manifestetur: reducuntur autem dupliciter, per conuersionē, aut per impossibile. reductio per conuersionem est reductio syllogismi imperfecti ad perfectum, procedens per conuersionem alterius præmissæ, vel vtriusq;, aut cōclusionis: verbi gratia, negat tibi quis hanc consequentiam in, Darapti, omnis homo est risibilis, omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale est risibile, probabis illam sic, hæc est bona consequentia in, Darij, omnis homo est risibilis, aliquod rationale est homo, quæ est cōuertens per acci-*

*dens minoris primi Syllogismi, ergo aliquod rationale est risibile, quæ erat conclusio primi. reductio autem hæc quomodo debeat fieri, denotatur in singulis modis per literas consonantes eorum: ita vt prima cōsonans modi imperfecti denotet ad quem perfectum debeat reduci, nempe ad eum qui ab eadem consonante incipit: omnes enim imperfecti incipiunt ab his quatuor B. C. D. F. quatuor perfectorū initiatiuis, reliquarum verò post primā consonantium. S. quidem significat, præmissam quam sequitur, simpliciter debere conuerti: P. per accidens: M. verò per conuersionem etiam transponendas esse præmissas innuit: transponere autem præmissas voco facere de maiori minorem & econtra, & hoc modo (nempe inferendo præmissas perfecti ex præmissis imperfecti, & ex illis conclusionem perfecti, ex qua demum per eandem conuersionem inferas tandem conclusionem imperfecti) reducentur omnes Syllogismi imperfecti, præter, Baroco, & Bocardo, qui ad Barbara, reducuntur per impossibile tantùm: quod denotat litera syllabis eorum immixta. reliquæ si quæ sunt in his modis consonantes, significatiuæ non sunt. est autem reducere per impossibile ex contradictorio conclusionis imperfecti, cum altera præmißarum, inferre contradictoriam alterius præmissæ in modo perfecto: vndè conuincitur aut illum modum esse vtilem sicut perfectum, aut dari duas contradictorias simul veras contra communissimum principium. quo supposito, Baroco reducitur seruata maiori, & contradictoria cōclusionis subsumpta pro minori, & inferendo contradictoriam minoris, in Barbara:*

*Barbara: sic, negat quis hanc in* Baroco, *omnis homo est animal aliquis lapis nō est animal, ergo aliquis lapis non est homo, tunc arguam sic, illa per te est mala consequentia, ergo datur in illa antecedens verum & consequens falsum, adhuc sic, consequens est falsum, ergo suum contradictorium verum, quod est hoc, omnis lapis est homo: præterea, sic omnis hō est animal, quæ est maior primi syllogismi, cuius antecedēs, erat verum concessum, & omnis lapis est homo, contradictorium cōclusionis, ergo omnis lapis est animal, quæ est cōtradictoria minoris primi syllogismi: quæ minor tanquam pars antecedentis cōcessa erat vera per hypothesim: & hæc consequentia est bona, quia in barbara: ergo cum antecedens sit verum, ita & consequens, & suum contradictorium, item concedebatur verum, ergo dantur duo contradictoria vera, consequens est impossibile, ergo et illud ex quo sequitur, sequitur autem ex insufficientia data primi syllogismi in* Baroco, *erat ergo illa bona & sufficiens, postquam ex eius negatione euidenter sequebatur illud impossibile. Bocardo reducitur etiam per impossibile, sed diuersimodè, scilicet assumpta contradictoria conclusionis pro maiori, et seruata minori, inferendoq; contradictoriam maioris, quæ quiuis facillimè per supra tacta potest practicare. Fundanturque hæ duæ reductiones, ea quæ est per conuersionem, in regulis conuersionum suo loco positis: & ea quæ est per impossibile, in illa regula bonæ consequentiæ in qua ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: quæ rursus fundatur & elicitur in & ex illis prioribus,*

*ribus, ex vero non ſequitur, niſi verum, & per conſequens falſum nunquam ſequitur ex veris.*

## De iiſdem. Cap. 8.

*SCiendum tamen, quod quamuis ſoli duo illi modi reducantur ſolum per impoſſibile, poſſunt tamen & omnes alij etiam per impoſſibile reduci, quia omnes ij ſunt bonæ conſequentiæ, & in omni bona cōſequentia tenent regulæ ſuprapoſitæ. Fit autem ea reductio ad hunc modum, tres modi ſecundæ figuræ (nam de Baroco iam dictum eſt à nobis) reducuntur contradictorio ſuæ concluſionis ſumpto pro minori, cum ſuamet immutata maiore, inferendo concluſionem contradictoriam ſuæ minoris: verbi gratia, hic ſyllogiſmus in, Feſtino, nullus homo eſt brutum, aliquis equus eſt brutum, ergo aliquis equus non eſt homo, quæ eſt contradictoria concluſionis ſumpta pro minori hoc modo, nullus homo eſt brutum, omnis equus eſt homo, ergo nullus equus eſt brutum. ad, Cellarent: & ita de reliquis. reducuntur autem, Cæſare ad Ferio, Cameſtres ad Darij, & Feſtino (vt viſum eſt) ad Cellarent, ſed ne in irritum labores, in vniuerſum ad quem quiſque modum per impoſſibile debeat reduci ipſamet reductionis norma & ars abundè oſtendit: nam ſi regulam hic aſſignatam obſerues, deuenies velis nolis ad ſyllogiſmum modi perfecti, ad quem talis imperfectus reduci debet, & ſic in omnibus figuris: ita tamē vt in tertia ſerues minorem eandem, & contradicto-*

*riam*

*riam conclusionis sumas pro maiori, inferasque contradictoriam maioris; quo facto, videbis Darapti, paulatim in, Cellarent, Felapton, in Barbara, Disamis, item ad, Cellarent, Datisi, ad, Feriò, Ferison, ad, Darij, Baroco, & Bocardo, (vt supra est dictum) ad, Barbara, commigrare. Modi autem primæ figuræ indirecti reducuntur ad directos per impossibile, faciẽdo de maiore minorem, & sumendo contradictori am conclusionis pro maiori, inferendoq́; contradictori am maioris, sic: omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo aliquod animal est risibile, in Baralipton: nullum animal est risibile, omne risibile est homo, ergo aliquis homo non est animal, in Cellarent: nec mirere si in eo concludamus particulariter vt de, Cellarent, faciamus, Cellarõt, omnes enim syllogismi (quod memoria tenendum est) concludentes vniuersalẽ affirmatiuam, concludunt etiam suam conuertentem, et subalternam: & ita sub, Barbara, intelliguntur, Barbari, &, Baralipton, & sic in singulis. eodem modo concludentes vniuersalem negatiuam, concludunt & suam conuertentem & subalternam: & ita sub, Cellarent, intelliguntur, Cellantes. &, Cellaront. Item concludentes particularem affirmatiuam vel negatiuam concludunt suas conuertentes, & ita sub, Darij, Dabitis, sub, Ferio, includitur alter modus ex ijsdem præmissis concludens indirectè conuertentem de Ferio, per contrapositionem, qui licet à nemine hactenus propter illius conuersionis desuetudinem est nominatus aut recensitus, potest à nobis vocari Fenido. Nec est necessarium nominare*

*omnes*

*omnes variationes conclusionum penes cõuersiones, & reliquas regulas logicales, sed facto primo syllogismo inde per eas enthymematicè reliquos inferre vt facile est experiri. Quare ipse libenter quinque modos primæ figuræ indirectos, cum binis aliarũ subticuissem, nisi cum multis nobis esset loquendum. reducũtur ergo modi omnes primæ figuræ indirecti præ dicto modo: præter, Cellantes, qui econtra de minore facta maiore, & contradictorio conclusionis pro minori, concludit contradictoriam suæ minoris: pro qua reductione omnium modorum sunt versus sequẽtes.*

*Seruat maiorem variatq; secunda minorem.*
*Tertia maiorem variat seruatq; minorem.*
*Sed adiecimus nos*
*Proq; minore capit maiorem prima figura.*
*Sed pro maiori Cellantes vsq; minorem.*

*Et ne etiam in minimis industriam nostram desideres, en tibi lector dictiones quasdam, per quas ad manum, & quasi in numerato habere queas quis ad quẽ modum per impossibile reduci debeat: eæ sunt.*

*Prima, Nesciebatis, Secunda, Odiebam, Tertia, lætare Romanis.*

*Prima secundum numerum syllabarum seruit quinq; modis imperfectis primæ figuræ, secunda quatuor secundæ, reliqua sex tertiæ: ita vt quo ordine quælibet sequitur syllaba, in eodem situm loco modũ designet, vocalis verò eius quantitatẽ conclusionis, qualitatemq; modi perfecti ad quẽ debet reduci subindicet: uerbigratia. Nes. prima syllaba primæ dictionis designat, Baralipton, primũ modũ imperfectũ primæ*

*figuræ*

figuræ ad, Cellarent, qui solus inter perfectos. E. idest vniuersalem negatiuam concludit, debere reduci: & sic de singulis, vt in subiecta tabella videbis.

| Barbara | Cellarent | Darij | Ferio |
|---|---|---|---|
| Fapesmo | Baralipton | Cellantes | Cæsare |
| Baroco | Dabitis | Frisesomorũ | Datisi |
| Felapton | Festino | Camestres | |
| Bocardo | Darapti | Ferison | |
| | Disamis | | |

Sunt & qui particulares primæ figuræ perfectos ad vniuersales, &, Cellarent, deniq; ipsum ad, Barbara, reducere per impossibile conentur, vt in illo denique vno status fiat. sed quia labor est irritus & sine fructu libenter illi supersedissemus: si quis tamen hic quoq; si quis se voluerit exercere, coronidem capitis huius breuiter perlegat. & primo sciat Cellarent reducendum ad Camestres, faciendo de minori maiorem, & econtra, & conuertendo simpliciter mai de Cellarent: deinde Camestres reducendus est ad Barbara, sumpto contrario conclusionis cum maiori & inferendo contrarium minoris. & eodem modo reducitur Darij, prius ostensiuè, seu per conuersionẽ ad tertiam figuram, & inde per impossibile ad vniuer sales primæ (vocatur autem modus particularis, uniuersalis, negatiuus, vel affirmatiuus, à qualitate & quantitate conclusionis) sic; Primo ad Disamis, per conuersionem minoris simpliciter & transpositionem præmissarum, et inde ad Cellarent. Ferio item ad Ferison per solam conuersionem simplicem minoris, & inde

*inde ad Darij, per impossibile, vnde ad Disamis, modo prædicto, ac demum ad Cellarent, atque hinc demum omnes ad Barbara, sed de his plusquam satis. Notandum tamen quod Cellarent ad Barbara non reducitur per impossibile, vt visum est, quin nec per consequens reliqui perfecti, sed conuersiuè. Est autem conuersiuè syllogizare, ex contrario conclusionis, cum altera præmissarum inferre contrarium alterius præmissæ, differt autem à reductione per impossibile, quia hæc semper assumit, & infert contradictorium: Illa vero vel assumit vel infert contrarium. De qua ideo conuersiuè syllogizatione alteram tabellam exercitationis gratia subijciam.*

<table>
<tr><td>Barbara</td><td>Felapton</td><td>Baroco</td><td>Camestres</td><td>0</td><td>Ferio</td><td>Cellarent</td></tr>
<tr><td>Cellarēt</td><td>Darapti</td><td>Festino</td><td>Cesare</td><td>0</td><td>Darii</td><td>Barbara</td></tr>
<tr><td>Darii</td><td>0</td><td>Camestres</td><td>0</td><td>Felapton</td><td>Cellarent.</td><td>0</td></tr>
<tr><td>Ferio</td><td>0</td><td>Cesare</td><td>0</td><td>Darapti</td><td>Barbara.</td><td>0</td></tr>
<tr><td colspan="2">In prima figura syllogizatur conuersiue maior seruata minore in suprapositis.</td><td colspan="3">In secunda figura syllogizatur conuersiuè maior minore posita pro maiore in suprapositis.</td><td colspan="2">Itē in prima syllogizatur conuersiue minor seruata maiore in suprapositis.</td></tr>
<tr><td colspan="7">In tertia figura nihil syllogizatur conuersiue.</td></tr>
</table>

*Nec benignus lector debet offendi quod in his persequendis longiores paulo fuerimus, quam aut instituta breuitas aut rei grauitas postulare videantur: nihil enim longum quod cum aliqua vtilitate studiosum lectorem exercere possit, in his maximè, quæ totius artis finem spectant.*

## De conditionibus essentialibus. Cap. 9.

*SVpereſt iam eſſentiales quaſdam ſeu proprietates mauis, ſeu conditiones ſyllogiſmorum recenſere, quæ quaternario numero continentur: quarum prima eſt: medium debet eſſe totale extremum in altera præmiſſarum: eliciturq; ex Ariſtotele qui latè in prioribus probat, ex medio obliquo in vtraque nihil ſequi. totale inquam niſi addatur illi aliquid ad ſeruandam eandem proprietatem logicalem. Sed ad euitandam hanc exceptionem melius ſtatueretur regula ſub verbis Ariſtotelis ſupra citatis poteſt tamen eſſe medium obliquum in altera præmiſſarum, ſic, cuiuslibet hominis equus currit, Petrus eſt aliquis homo; ergo Petri equus currit. Secunda eſt, medium non debet intrare concluſionem. Tertia, id quod eſt cum medio in maiori debet concludi cum minori extremitate, & quod eſt cum medio in minori, cum maiori extremitate, debetque concludi minor extremitas in caſu in quo eſt medium in maiore, & maior in caſu in quo erat medium in minore: verbi gratia, in ſuprapoſito ſyllogiſmo ly, equus, in maiore ſtabat cum medio, & non erat medium, nec pars eius, debet ergo concludi, cum minore extremitate, quæ eſt, Petrus, ita quod ipſa ſit in Genitiuo in concluſione: quia medium in maiore in eo caſu erat vt ſupra eſt videre: & hoc ſit exemplum pro*

prima

*prima parte regulæ: exemplum, secundæ partis, omnis homo est animal Brunellus est hominis equus ergo Brunellus est animalis equus: vbi ly, equus, quod erat cum medio in minore, conclusum est cum ly, animal, maiore extremitate, & quia ly, homo, medium in minore erat in genitiuo, ideo maior extremitas cõclusa est in eodem casu: Quarta conditio, extremitates debẽt esse totalia extrema tam in præmissis quam in conclusione: nisi quid concludatur, cum aliqua extremitate, quod erat cum medio in præmissis, vt regula proxima præcepit & in exemplo proximo est videre: aut addatur aliquid in conclusione ad seruãdas proprietates logicales, & hæ exceptiones loquuntur tantum de conclusione, nam in præmissis semper debẽt esse totalia extrema absque exceptione vlla.*

## De conditionibus accidentalibus. Cap. 10.

*Sunt aliæ conditiones requisitæ ad bonitatem syllogismi, quæ ideo accidẽtales dicũtur, quia cõsequuntur rationẽ accidentium, scilicet quantitatis & qualitatis aliarumq; proprietatum logicalium; quas (quia contrariorum eadem est disciplina) per defectus his contrarios enumerabimus. Sunt autem ij in duplici differentia, intrinseci nempe & extrinseci: intrinseci vocantur, qui committuntur ex parte medij, & sunt tres: quorum primus est quando medium in præmissis tenetur æquiuocè, secundus quando medium in vna præmissarum tenetur vnica, & in altera pluribus,*

*bus, qui (ut supra uisum est) est defectus suppositionis, seu resolutionis: vt verbi gratia in, Bocardo, non sequitur, hominis equus non est animal, omnis equus hominis est hinnibilis, ergo aliquod hinnibile nō est animal, vbi antecedens est verum, quia maior est negatiua de subiecto non supponente, nam determinatione præcedente (vt alibi diximus) complexum illud supponit determinatè independenter, cum accipiatur pluribus, ac proinde licet descendere prius sub illo, & & tunc dabo vnam singularem sub illa veram, quod sufficit ad eius veritatem cum sit indefinita: singulari erit hæc, huius hominis, scilicet non habentis equū. intelligitur hic defectus officere, nisi acceptio vnica inferat acceptionem pluribus aut econtra. Tertius quando medium in nulla præmissārum nec in ambabus simul completè distribuitur, quia debet distribui completè saltem in altera, vel in vtraq; simul, ita vt vna pars eius in vna, & altera in altera completè distribuatur, si sit complexū: verbi gratia, omnis homo & equus sunt substantiæ, homo & quilibet equus sunt animalia, ergo animalia sunt substantiæ. Solēt etiam addere quartū, scilicet cum variantur proprietates logicales in præmissis ex parte medij, ita vt in vna stet magis amplè aut magis restrictè q̄ in altera, sed iste refertur ad tertium, sub quo includitur. Quādo enim in vna stat minus aut magis ample, ac ꝓinde pro pluribus supponit in vna q̄ in altera aut econtra, nō completè distribuitur medium. Extrinseci sunt qui cōmittuntur ex parte extremitatum, & sunt proportionaliter totidem cum intrinsecis, tertius cum aliqua ex-*

*tremitatum in antecedenti & consequenti non teneatur vniuocè, sed æquiuocè: secundus, cum aliqua extremitatum tenetur in antecedenti vnica, & in consequenti pluribus, aut econuerso: tertius, quando arguitur à non distributo ad distributum ex parte alicuius extremitatis, vel confusa ad determinatam. Sunt enim defectus generalissimi nō tantum in syllogismis, sed & in omni bona consequentia tritissimi, arguere à non distributo ad distributum, & à pluribus determinatis ad vnicā determinatam respectu multitudinis, quod est dicere à termino communi bis vel ter supponēte determinatè, ad ipsummet item determinatè supponentem: nam si sint quatuor supposita, seu singularia termini illius, in antecedenti potest stare pro duobus vel tribus, & in consequenti pro reliquo vel reliquis. & propter hunc defectū posita est superius regula, ex puris particularibus nihil sequi, argueretur enim à pluribus determinatis ad vnicā respectu multudinis, & ob eundem in secunda figura ex purè affirmatiuis nihil sequitur, nam cum mediū sit prædicatū in vtraq;, & in affirmatiuis cōmodè prædicatum nequeat distribui, argueretur ex parte eius à non distributo ad distributū, aut à confusa ad determinatā, qui est tertius defectus intrinsecus. hic etiam solent addere quartum, quando arguitur à non amplo ad amplum, cum distributione ampli, seu ab amplo ad non amplum affirmatiuè, vt est videre supra libro secundo, capite quinto: sed hic etiam reducitur ad tertium eadem ratione, & modo quo in intrinsecis explicuimus. Et hi sunt omnes defectus, qui circa syllogismos*

*possunt*

*possunt cōmitti, licet ab alijs ad quaterdenum numerũ vsq; multiplicẽtur. oẽs tamen ad hos sex veniũt redu cendi: et frustra (vt est apud Peripateticos receptissi mũ) fiunt per plura, quæ possũt fieri per pauciora. vt ergo hoc tandẽ caput finiamus, addemus vnicũ defe- ctum, quẽ quia neq; intrinsecus, neq; extrinsecus est, neq;.n.ex parte medij aut extremitatũ committitur, medium appellare possumus: cōmittitur aũt ex parte copulæ, & est quãdo copula conclusionis nō sequitur copulã maioris: voco autem copulam, omnem modum & syncategorema: verbi gratia, sic, omnis homo est albus, omne risibile essentialiter est hō, non infertur, ergo omnis hō essentialiter est albus, quia ly, essentia- liter, nō erat in maiori: Si tamen diceres in Darapti: Omnis homo esẽtialiter est rationalis, omnis homo est albus, inferres bene, ergo aliquod album essentialiter est rationale: quia ly, essentialiter, erat in maiori.*

## De syllogismo in modalibus. Cap. 11.

*Circa modũ syllogizandi in modalibus apud pluri mos est magna difficultas, inter quos Aristoteles de ijs longã cōstruit Iliãda: Nos vero (tũ quia ad reli quas disciplinas nō multũ afferunt emolumẽti, tũ etiã qa breuibus omnia ea cōprehẽdi posse credimus) duas [illegible]ãtũ regulas subijciemus, quibus forte curiosus lector [illegible]acile poterit, necdũ in tergo finitos Orestes sine dispẽ[illegible] lio vitare veritatis. sit prima (ea q̃ vnicus ille defe- [illegible]us quẽ mediũ modo appellabamus subinnuit et inclu [illegible]it) copula conclusionis semper debet sequi copulam maioris. cuius ratio est qđ cũ ob id dicatur maior, qa*

*maiorem semper vim habet ad cõclusionem, quæ sub illa subsumitur, ferę (vt patet per principia illa Dici de omni & de nullo quibus omnes syllogismi mediatè vel immediatè regulantur) semper virtute continet conclusionẽ. Secunda regula sit, conclusio semper sequitur debiliorem antecedentis partem, et ratio huius est, quia conclusio est effectus præmissarũ, & effectus ferè nunq̃ attingit, nec exhaurit totam efficaciam & perfectionem suæ causæ. Ad applicationẽ ergo harũ regularum descendendo: Dico quod necessarium est fortius, possibili, contingenti, & de inesse, in affirmatiuis: de inesse, vero possibili, & contingenti: & in uniuersum verum, est fortius falso, & affirmatiuum negatiuo: inter negatiua vero impossibile est fortius falso. Vnde patet quod si maior in aliquo syllogismo fuerit de inesse possibilive, & minor de necessario, sequitur conclusio de necessario, per vtranq; regulam. Si tamen maior fuerit de neceßario poteſt itẽ conclusio sequi de necessario, per primam: non obstante secũda: nam hæ regulæ debent ita obseruari ne vna alterã impediat. Est veruntamen sciendum quod propositio necessaria est duplex, altera secundum modum enunciandi, nempe quando ly, necessariò, expressè ingreditur propositionem: et altera secundum rem, quando ex se propositioni sensus est necessarius, quia prædicatum est de intrinseca ratione subiecti: & vtroque modo est æquè fortis, & eandem vim habet. itaq; ex vna de necessario primo modo, & alia secundo, sequetur optime conclusio de necessario vtroque modo, & si necessaria primo modo sit minor. & his paucissimis*

*verbis*

*verbis arbitramur quamuis auido lectori iam factum satis, modo candido id pectore accipiat, quod ex animo damus.*

## De syllogismo de contingenti. Cap. 12.

*Est maius dubiũ de contingenti specialiter capto, quod si est affirmatum exponitur per possibile & possibile non, & si est negatũ per necesse, vel impossibile simul: verbi gratia, contingens est hominẽ currere, sic, possibile est hominem currere & possibile non currere: non est contingens hominem currere, sic, neceße est hominem currere, vel impossibile est hominem currere. ex quibus expositionibus sequitur, omnes propositiones de contingenti specialiter capto, posse conuerti in oppositam qualitatẽ, idest ex affirmatiua fieri negatiuam, & ecõtra eodem ordine terminorum seruato, dum modus in vtraque maneat eiusdem qualitatis: verbi gratia contingens est hominem currere, & contingens est hominem nõ currere, æquipollent: item non est contingẽs hominem esse, & non est contingens hominem non esse, idem valet: vt patet per modum exponendi supra assignatum. ad syllogizandum ergo in his tales seruẽtur regulæ: prima, in secũda figura ex vtraq; de contingenti specialiter capto, nihil sequitur: neq; ex vna de inesse, & altera præmissa de contingenti, si de ineße sit affirmatiua. Et ratio est quia cum propositio de contingenti siue affirmetur siue negetur æquiualeat oppositæ qualitati, argueretur ex purè affirmatiuis, quod in secunda figura vitium eße ostensum est. quin (mea sententia)*

*neq; si de inesse sit negatiua aliquid sequitur, argueretur enim ob eandem rationem ex purè negatiuis. Secunda regula in tertia figura ex vtraq; de contingenti specialiter capto, sequitur conclusio de eodem, per regulas nostras generales. Tertia ex vna de inesse & altera de contingenti in tertia figura sequitur conclusio de contingenti: ita tamen quod si maior fuerit de contingenti, in reductione ad primam figuram, sequitur conclusio de contingenti specialiter capto: aliàs non: & hoc est corollarium deductum ex prima regula generali. Hactenus ergo de his quam breuissimè à nobis sit disputatum.*

## De syllogismo ex obliquis. Cap. 13.

*AD syllogizandum autem ex obliquis solēt etiam tradi aliquæ regulæ: si modo recolantur, quæ alibi de ijs diximus. Prima, in omnibus modis affirmatiuis cuiuslibet figuræ, ex vna præmissa de recto & altera de obliquo, colligitur cōclusio de obliquo, retenta in conclusione alterius extremitatis obliquitate, si in præmissis sic se habuerit. Secūda, ex utraq; de obliquo nihil sequitur: qđ per conditiones essentiales abūde est cautum. Tertia, in negatiuis ex vna de recto, & altera de obliquo, si negatiua fuit de obliquo, sequitur conclusio de obliquo: si vero negatiua sit de recto, nihil sequitur. Exemplum primæ, cuiuslibet hōis equus est habens albedinē, Petrus est hō, ergo Petri equus est habens albedinem. exemplum secundæ, cuiuslibet animalis est equus, Brunellus est cuiuslibet animalis, nihil infert. Exemplum tertiæ, nullius hominis equus*

*currit,*

*currit, Brunellus est hominis equus, ergo Brunellus non currit, in Ferio: non tamen sequeretur nullus homo est albus, cuiuslibet albi equus iacet, ergo nullus hominis equus iacet, in Cellarent, nam dato casu quod omnes homines essent nigri, & equi omnes tam hominum quam mulierum iacerent, antecedens est uerum, & consequens falsum: & hæc de obliquis.*

## De potestatibus syllogismi. Cap. 14.

*Potestates syllogismorum sex numerantur, scilicet plura concludendi, conuersiuè syllogizandi, per impossibile, ex oppositis, circulariter, & ex falsis verum deniq; syllogizandi: quæ hoc versu continentur.*

*Plus, falsò, circum, conuertitur, oppos. & impos.*

*De tribus primis in superioribus plusq̃ satis: nunc de reliquis pauca subdam. ex oppositis ergo syllogizare, est ex præmissis contrarijs seu contradictorijs inferre negationem eiusdem de eodẽ: sic, omnis homo est animal, nullus homo est animal, ergo nullus homo est homo. sed hic reuera nõ est syllogismus cum sit ex duobus tantum terminis non ex tribus, & ideo de eo nihil amplius. circulariter syllogizare est quando ex conclusione propositi syllogismi, et cõuertente vnius præmissæ, sequitur alterius præmissa: vt proposito hoc syllogismo. omnis hõ est rationalis, omne risibile est hõ, ergo omne risibile est rõnale, facis hunc, oẽ risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis hõ est rõnalis: ubi uides syllogismum circularem necessariò constare ex terminis conuertibilibus, alias illa minor*

*primi syllogismi non conuerteretur simpliciter, sed per accidens in particularem, & ita non posset inferre maiorem, quæ est vniuersalis. & quia hi syllogismi non nimium conducunt, sufficiat lectori terminos semel intellexisse. Sexta demum & vltima proprietas est seu potestas, vera ex falsis syllogizare, quæ fundatur in illa regula quam libro superiore in capite octauo posuimus, ex vero non nisi verum, ex falso quandoq; verum quandoq; falsum sequi valet: verbi gratia, bene colligitur in* Baralipton, *omnis homo est equus, & omne animal est homo, ergo equus est animal. Vbi vides præmissas esse falsas & conclusionem verissimam, consequentiamq; euidentem: sed de his satis.*

## De arte inueniendi medium. Cap. 15.

P*Ost tradita ea quæ ad inuentionem & dispositionẽ quantitatis & qualitatis præmissarum (quæ sunt materia propinqua syllogismi) spectant, opus iam ipsum & ordo rerum exposcit vt de inuentione medij quod est pars materiæ remotæ differamus. Sed dices? quare non etiam differendum de inuentione extremitatum, cum sint etiam partes materiæ remotæ? Respondetur, quod cum extremitates præmissarum sint extrema conclusionis, quam aut aduersarius aut res ipsa semper præbent (syllogisticæ enim artis non est conclusionem inuenire, sed præmissas ad datam conclusionem inferendam habiles) satis est si de inuentione medij egerimus. Ad quod prænotare*

*oportet,*

*oportet, quorundam terminorum intelligentiam, scilicet antecedentis, consequentis, & extranei, qui in hac arte longe aliud sonant quam supra in principio statim huius libri: illic enim referebatur significatio illorum saltim duorum ad propositiones, hic verò ad terminos. vocamus ergo in proposito terminum consequentem ad alium, qui est superior eo in serie prædicamentali, aut conuertibilis saltim cum ipso: antecedentem verò qui inferior vel etiam conuertibilis: extraneum qui verè & vniuersaliter de illo negari potest. antecedens denotatur in dictionibus sequentibus per literam.* F. *consequens per primam & initiatiuam sui.* C. *extraneus per.* H. *sunt autem in subiecta tabella sex dictiones trisyllabæ cuius tertia vocalis semper significat qualitatem & quantitatem conclusionis syllogizandæ: consonans vero aut consantes (quod nostrum inuentum est) eam immediatè præcedentes, figuram in qua talis conclusio colligenda est, per initiatiuas literas.* P. *primam.* S. *secundam.* T. *tertiam figuram significantes. duarum priorum syllabarum vocales.* A. *quidem prædicatum.* E. *subiectum designant, quod in directis minor extremitas semper est, sicut prædicatum maior: vt supra edoctum iam est à nobis. consonantes eas præcedentes sunt semper ex illis tribus.* F. C. H. *quorum significationem iam præmissam applicare debet lector ad significationem vocalis.*

*Prædica-*

*Prædicatum.*

| Hoc | \|*A*\| | modo |
|---|---|---|
| *Conse- quens.* | *I Cesapa.* | *Barbara, Darij.* |
| *Ante- cedens.* | *Fasepti.* | *Darapti, Disamis, Datisi.* |
| *Extra- neum.* | *O Hacepses.* | *Cellarent, Cæsare, Ferio, Festino.* |
| *Extra- neum.* | *O Hecapse.* | *Camestres Cellantes, Baroco.* |
| *Ante- cedens.* | *Febapto.* | *Bocardo, Felapton, Ferison, Fapesmo, Frisesomorum.* |
| *Ante- cedens.* | *Fecapi.* | *Baraliptoñ, Dabitis.* |
| *Cecas,* | E | *Hefas, Hebas,* |

*Subiectum.*

*Cesapa significat quod ad concludendam hanc vniuersalem affirmatiuam, omne animal est substantia, in prima figura, sumendum est pro medio, viuens aut corpus, quæ sunt consequentia, id est, superiora aut conuertibilia ad subiectum quod est ly, animal, vt innuit syllaba. Ce. & antecedentia, id est, inferiora aut conuertibilia ad prædicatum quod est, substantia, denotaturq́; hoc per syllabam. sa. verbi gratia, omne viuens est substantia, omne animal est viuens, ergo omne animal est substantia. & hoc vno exemplo facile est reliqua per dictam tabellam colligere. in qua faci-*

*liori,*

*liori & exactiori reddenda quantum elaborauerimus, aliorum esto iudicium: certè ars hæc ferè inintelligibilis ab omnibus hactenus proposita, (absit verbo inuidia) quam facilis & perspicua in lucem nunc prodeat, cuilibet est in promptu discernere. Aduertendum tamen pro maiore illius intelligentia, quod quando duæ consonantes simul tertiam syllabam illarum dictionum præcedunt, mysterium includunt: nempe in duabus figuris conclusionem quam sequens vocalis designat esse syllogizabilem: quin & quia (vt supra est visum) modus concludens vniuersalem affirmatiuam ex vi consequentiæ etiam concludit suam subalternam; & omnis modus conuertentes & subalternas suæ conclusionis, ideo supra tertiam syllabam in aliquibus posita à nobis est alia vocalis conuertentem aut subalternam subiectæ significans: quoque maiore lectorem tædio leuaremus, è regione cuiuslibet dictionis modos quibus deseruit ob oculos posuimus. nec sunt aliæ combinationes medij habiles ad aliquid inferendum præter illas sex, nam tres solæ quæ restant possibiles fieri, ideo tertia syllaba carent, quia inutiles sunt ad aliquid colligendum: & probatur eas esse inutiles sic, quia vltima nempe. Hebas. significat extraneum ad vtrumq;, vnde vtraq; præmissarum foret negatiua: prima vero scilicet, hesas, significat cōsequens ad vtrumq; extremum, & proinde prædicari debere affirmatiuè in ambabus (nam loquimur de prædicatione directa) quod nequit fieri nisi in secunda figura in qua ex purè affirmatiuis nihil sequitur: si tamen esset ita consequens quod esset*

*conuer-*

*conuertibile cum vtroq; extremo, inferret optimè conclusionem de Barbara. Secunda putà, Hesas, significat medium extraneum ad subiectum, ac proinde minorem negatiuam quæ nequit inueniri in prima aut tertia figura directè, & antecedens ad prædicatum, quare & subijci in maiore quod repugnat secundæ figuræ, & ideo simpliciter est inutilis pro directis: valet tamen pro indirectis negatiuis primæ figuræ, Fapesmo, &, Frisesomorum: & ideo potest vocari, Hesapo. Ex his omnibus deprehendere est facile quæ propositiones sint syllogizatu faciles, quæ difficiles, nam faciles erunt quæ pluribus modis & figuris syllogizari possunt, vt particularis negatiua quæ colligitur in tribus modis primæ, duobus secundæ, & tribus tertiæ figuræ, & præterea in omnibus colligentibus vniuersalem negatiuam, per legem subalternarum. deinde particularis affirmatiua quæ in quatuor primæ, (nam in Barbara quoq; potest) & tribus tertiæ: deinde vniuersalis negatiua quæ in duobus primæ, & duobus secundæ: omnium autẽ difficillima vniuersalis affirmatiua quippe quæ in solo primo primæ figuræ modo colligitur.*

De resolutione syllogismi. Cap. 16.

*EXactis his quæ ad inuentionem & dispositionem syllogismi pertinebant, operepretium iam erit de altera eius parte (quam in omni arte inueniri diximus) scilicet resolutione quæ indicio deseruit pauca dicere. Cum enim omnis artifex per ea quæ operari discit,*

scit, per eadem & discat iudicare de opificio: ferè per ea quæ dicta sunt, intelliget quilibet quæ restãt. Est ergo resolutio iudicium quod de toto quopiam composito sumitur id in partes resoluendo, qui enim iudicaturus est, affabrè ne sit exacta domus, seorsum inspiciat oportet, tigna, lateres, parietes, & reliqua quibus constat. resoluere itaq; syllogismum est partes eius essentiales seorsum inspicere quæ sunt duæ, materia & forma, vnde duplex est resolutio: alia materialis nempe in principia materialia, quæ prius debet fieri in duas propositiones, deinde vtraq; illarum in tres terminos: quod si plures propositiones aut vnam tantum habuerit, tentandum est vtcunq; ad duas reducere, hoc modo, si sit prosyllogismus (vocatur autem ita, ille qui pluribus quam duabus constat enunciationibus, ita vt ex quæ abundant probationes sint aliarum) auferendæ sunt ex quæ probationes aliarum sunt, & reliquæ seorsum sumendæ, tuncq; videndum an constent ex tribus tantum terminis: Si autem vna tantum propositione constiterit, videndum an additione vnius ita vt ambæ tribus tantum terminis constent, fieri possit syllogismus: si autem (quod sit tertium documentum) pluribus quam duabus propositionibus non probationis sed ornatus gratia constet argumentio, resecandæ erunt non necessariæ. Ad terminorum autem resolutionem sunt & aliæ regulæ: prima, si extremitates aut medium sint complexa ad incomplexa reducantur, si fieri poterit, veluti si quis dicat, omne animal est corpus animatum, in maiori, dicendum pro eo, omne animal est viuens: & hoc fieri

debet

*debet salua proprietate & significatione terminorum. Secunda, videndum an totum complexum quod sumitur pro medio repetatur in vtraq; præmissa, aut si totum complexum extremitatum concludatur in consequenti, quod si ex aliquo complexo pars sola sumatur pro medio, cauendum vt id quod restat concludatur cum extremitatibus, secundum regulas generales supra positas: defectu cuius hic non est syllogismus, omnis equus hominis currit, Brunellus est equus, ergo Brunellus currit, quia arguitur in quatuor terminis: & ita fiet quandocumq; hæc regula fallet. tertia regula si fuerit in syllogismo aliquis terminus obliquus reducendus est ad rectum, vt omnis equus hominis currit, sic, omnis equus quem homo habet currit: & ita in omnibus quatenus fieri poterit, sic enim intelliguntur omnes hæ regulæ: & hæc de resolutione materiali. Alia est resolutio formalis ad quam sunt etiam regulæ sequentes: Prima, si argumentatio non fuerit in aliquo modo & figura, videndum an possit saluo eius sensu ad eum reduci, quippe multæ erunt bonæ consequentiæ quæ tamen non possint esse syllogisticæ, nam quamuis omnis syllogismus sit necessaria consequentia, non tamen econtra. Secunda, respiciendum est post resolutionem vtramq; ad ea omnia quæ hactenus in hoc libro dicta sunt, ac per ea de proposito argumento iudicandum. De syllogismis ex terminis infinitis solent aliqui multa dicere, qui verò nos sequi volet, abunde iudicare de his poterit, si ea quæ in secundo libro ca. 16. diximus recoluerit: & ideo superuacaneum ducimus de ijs plura scribere.*

*De*

## De syllogismo expositorio. Cap. 17.

*Restat iam in calce huius libri postquam de syllogismo medij communis satis in genere est dictum, de expositorio non nihil attingere. Est autem syllogismus expositorius, is qui est de medio singulari vt, Petrus est homo, & Petrus currit, ergo homo currit. & cum singulare in prædicatione directa non sit prædicabile, & in sola tertia figura medium semper subijciatur, in ea sola congruè fieri potest: quamuis indirectè in reliquis etiam confici queat. Seorsum ergo de illis dicere decreuimus eò solum quod principia habent diuersa: nam reliqui innituntur naturæ propositionis vniuersalis, quæ habetur per Dici de omni & de nullo: expositorius tamen (qui ex eo ita vocatur quod videtur sensus eius expositus esse vel ipsi sensui) innititur illi maximè principio communissimo, quæcunq; sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, vt de se liquet. Reliqua omnia in his eodem modo quo in reliquis sunt obseruanda. & quia (cum de singularibus sint) parum ad scientias (quas omnes vniuersalium esse docuimus) conducunt, hactenus de illis, atq; adeo de tertio libro.*

# LIBER QVARTVS DE DEMONSTRATIONE.

## Procœmium & de subiecto totius libri. Cap. 1.

CVM HOMO *omniũ philosophorum inueterato cõsensu rationale sit animal, hocq; nõ solum sensu carentia sed & cætera longe excellat animantia, intellectu nimirum inter omnia sublunaria solus pollet: hoc tamen angelis est minor effectus, quod illi, per innatas sibi ac inditas ab autore naturæ rerum similitudines, vnico intuitu & simplici apprehensione eas percipiunt & comprehendunt: ipse ad laborem (vt multi priscorum credidere) vndequaq; natus, ne hoc quidem quod rationis nobilitas præstat, sine vsu & sudore parare potest: sed discursu & temporis & intellectus cognitionem rerum tandem assequitur. cumq; illis largissimus Deus quasi spectra quædam (in quibus omnia cum libuerit inspiciant) ab initio donauerit: homini tamen quæpiam tantum ceu seminaria (quæ antiqui diuinitatis scintillas vocauere) parcissime indidit, ex quibus non sine mora & conatu scientias eruere posset: ea sunt quæ communissima & prima principia philosophi appellant, quia illis quantumuis rusticus & scientiarum inops,*

*inops, agnitis dictionum significationibus, assentiri ex vi ipsa terminorum connexionis cogitur. Sunt autem huiusmodi: quodlibet est vel non est, omne totum est maius sua parte & similia, suapte quidem natura fœcundissima & multorum fœtuum parentia, sed quæ partū edere in lucem sine dolore nequeant & præssura. Hic igitur seu cognitionis seu sciendi modus humanus, qui absq; ratiocinatione & discursu (vt diximus) nequit parari, scopus est huius præsentis libri, & totius potissimus artis logicæ, quippe quæ inde modus sciendi & scientia scientiarum mercatur nuncupari. cum tamen non qualibet cognitio rerum, scientia vocetur, sed ea tantum quæ euidentissima & infallibilis sit, neq; vnquam aliter se habere possit: inde cognitio sensitiua nobis cum brutis communis nomēclatura hac indigna censetur, quippe quæ decipi possit et album quod nigrum est iudicare, & solæ intellectus notitiæ, atq; inter eas eæ tantum quæ sunt vniuersalium & per se (nam singularia ea quæ sub cœlo sunt cum superis lationibus sint obnoxia, nec in eodē maneant statu, & demū tam ea quam supercœlestia penè sint infinita: ea verò quæ per accidens sunt incertas habeant causas, à scientijs excluduntur) hoc nomine dignæ censentur. Neque vero quis notitiam quomodocunque habere eorum potest, quæ certissima sit, nisi causas eorum præcognouerit, cum sit scientia, vt à nobis est dictum, rerum per causas cognitio. Is ergo discursus (quem argumentationem esse alio nomine diximus) qui certissimus fuerit, (est autem is syllogismus) modus erit vtique sciendi. Sunt tamen*

*aliqui syllogismi, qui non ita certam cognitionem, neque per causam generant, qualem ad scientiam diximus requiri : syllogismus enim sæpè ab effectibus ad causas, quin & ab aliis adiacentibus rei, quæ neque causæ sunt neque certæ, procedet. Erit ergo syllogismus is qui ex causis & certis seu necessariys effectum collegerit, modus sciendi. vnde nec sunt tres modi sciendi, vt neoterici enumerant : cum neque omnis argumentatio, neque omnino aut diffinitio, aut diuisio per se faciant scire, vt per iam dicta elucescit. Sed quia vt sunt entia per accidens, ita sunt & causæ per accidens, (quæ scilicet effectum quem semel producunt non necessario, neque cum intentione producunt, vt fortuna, casus, & similes) liquet etiam ex his certam & euidentem rei notionem elici non posse. Erit ergo scientia vniuersalium per primas, necessarias, & per se causas, certissima cognitio: modus autem sciendi, syllogismus qui ex veris, primis, propriys, necessariys, & per se conclusionis causis processerit: hic autem vocatus est ab omnibus demonstratio, de qua totus hic nobis erit liber. breuius autem ab aliys ea diffinitur : quamuis idem polleat, ut sit, syllogismus faciens scire.*

## De præcognitis. Cap. 2.

*AD intelligentiam dictorum prænotandum est, totidem esse, quæ cognoscuntur, quot ea quæ de unaquaque re quæri solent : nam eo quærimus ut sciamus.*

*sciamus. Sunt autem hæc quatuor, scilicet an sit res? nisi enim sit nihil amplius scire de ea cupimus, (quia quod non est non scitur) an sit (inquã) id est, an habeat essentiam seu diffinitionem, nõ existentiam? habemus enim verè scientiam de rosa, hyeme quando non existit. Secundo quærimus postquam est, quidnam sit, id est, quam naturam habeat? & tunc quærimus diffinitionem. Tertio qualis ne sit, quas scilicet proprietates qualitatesve habeat? Quarto propter quid sit, id est, ex quibus & per quas causas? Scientiã ergo habere de aliqua re est, qualis ea sit cognoscere, & per quas causas talis, vnde & duæ primæ interrogationes præcognosci debent, tertia & quarta solæ per eas demonstrari, nam prima non habet causam necessariã, vt patet, secũda minus, essentia enim rei est causa proprietatum eius, nõ tamen habet aliã priorem causam: cum ergo hæ duæ sciri non possint, debẽt cognosci alia cognitione, quæ non sit scientia: vt per illas reliquas cognoscamus. Cumq; demonstratio (vt ex prædictis patet) concludat passionẽ seu proprietatẽ de subiecto, per causam quæ est diffinitio: oportet quidem de passione prænoscere quid sit: & (quia diffinitionem aut quidditatem propriè non habet, sicut neq; vllum accidentium) quid significet: de subiecto vtrũq;, et præterea an sit: de præmissis vero an sint tantum, id est, an sint ueræ, hoc enim est esse præmissarum: de diffinitione autem quid item significet, non enim est diffinitionis diffinitio: præmissæ autem demonstrationis vocantur principia. Ex his iam lucere incipient omnia supradicta, cum enim demonstratio sit huius*

*libri ſubiectum de qua ſit agendum, (ne præceptis quæ alijs damus abutamur) ſupponimus eam eſſe, cum id demonſtrari à nobis non poſſe ſit oſtenſum: inducitur tamen & manifeſtatur ex ſignificatione ipſa, & diffinitione demonſtrationis quam ſupra poſuimus, nam cum demonſtratio is ſit ſyllogiſmus, qui ſcientiam generat, & ſine quo illa acquiri nequeat, neceſſe eſt ſi ſcientia ſit, illam etiam eſſe: ſcientiam vero eſſe, èx eius item diffinitione oſtenditur, cognoſcimus enim aliqua (vt experientia conſtat) per ſuas cauſas certiſſimè. & quamuis diffinitiones nequeant demonſtrari, explicandæ tamen ſunt, vt per eas reliqua demonſtremus.*

## De prima & ſecunda particula diffinitionis. Cap. 3.

*PRima ergo particula diffinitionis demonſtrationis eſt, ſyllogiſmus, pro genere: ſecunda, ex Primis, vocantur autem primæ ſeu immediatæ cauſæ uel principia, præmiſſæ inter quartum ſubiectum & prædicatum uulla mediat cauſa, per quam vnum de altero demonſtretur, & ideo vocantur indemonſtrabiles: quales ſunt omnes eæ in quibus aut diffinitio de diffinito, aut prima paſſio de ſubiecto prædicatur. Dico autem demonſtrationem procedere debere ex primis non formaliter, ſed ſaltim virtualiter, ideſt quod poſſint & ſciantur reſolui vſque ad tales.*

## De tertia particula eiusdem. Cap. 4.

*Tertia particula erat, necessariis, ad cuius cognitionem sciendum quod duplices sunt causæ conclusionis, aliæ secundeintentionales, et hæ sunt quælibet præmissæ in figura & modo dispositæ, siue sint veræ, siue falsæ, quæ quidem propriè loquendo sunt potius causæ consequentiæ, quam consequentis: aliæ primeintentionales, quæ non solum sunt causæ consequentiæ, sed etiam veritatis consequentis, & hæ nequeunt non esse veræ, nam licet falsum aliquando inferat verum, non tamen vt causa hoc secundo modo, sed tantum primo: volo dicere quod in omni bona consequentia qualis est syllogismus, præmissæ semper inferunt necessario conclusionem in sensu conditionali, in causali tamen sola demonstratio. Et ideo semper tenui Demonstratiuum & Topicum specie differre & forma. nam consequentia Topica est conditionalis: Demonstratiua vero causalis: & hoc est memoriæ commendandum, est enim nouum sed cum ratione dictum. Harum ergo causarum primeintentionalium, aliæ sunt causæ cognoscendi, aliæ essendi: causæ cognoscendi dicuntur illæ, quæ faciunt nos venire in cognitionem conclusionis, & hæ ferè semper sunt effectus, cum hi multoties sint nobis notiores causis, in diffinitione tamen præsenti solum loquimur de causis essendi, quæ scilicet sunt causæ vt res sint non vt cognoscantur, Causis, inquam seu rationibus se habenti-*

 *bus*

*bus per modum causarum, vt immutabilitas in Deo respectu æternitatis: necessarijs, ergo, idest, quod præmissæ sint & in se necessariæ, & necessariæ causæ vt necessariò causent conclusionem: illa autem propositio in se est necessaria, cuius prædicatum est de omni seu de nullo, & per se, & vniuersale.*

## De ly, de omni, & ly, per se. Cap. 5.

D*Icitur propositio de omni syllogisticè, omnis vniuersalis affirmatiua: Demonstratiuè verò illa sola in qua prædicatum verè dicitur de omni contento sub subiecto pro quolibet tempore, etiam si signũ vniuersale non habeat: nam in doctrinalibus (quæ solæ faciunt demonstrationes) indefinita æqupollet vniuersali. Hæc verbi gratia est, de omni, demonstratiuè, homo est animal, & hæc, omnis coruus est niger. De nullo vero proportionaliter. Non tamen sufficit vt propositio sit necessaria, quod sit de omni, seu de nullo, nam illa, omnis coruus est niger, est de omni, non tamen necessaria: sed requiritur vltra hoc quod sit per se. Dicitur autem propositio aliqua, per se tripliciter: primo cum prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, vt quando est diffinitio aut pars diffinitionis subiecti. Exempla, homo est animal, homo est animal rationale. Secundo modo quando subiectum econtra est pars diffinitionis prædicati, vt nasus est simus, homo est risibilis: & denique vbicunque de subiecto prædicatur passio sua propria.*

*pria. Sed dubitas? cum omnia accidentia diffiniantur per subiecta, num hæc sit per se secundo modo, omnis homo est albus, quæ omnino esse per accidens videtur, nec ad demonstrationem seruire? seruiunt autem semper hi duo modi ad illam: Respondetur tamen illam, per se, nullo modo esse, nam licet omne accidens diffiniatur per subiectum, non tamen per quodcunque, sed per illud, cuius est proprium: omne enim accidens quantumuis commune respectu alicuius cui primo conuenit est proprium, siue absolutè siue disiunctim sumptum: verbi gratia, licet coloratum non sit proprium, sed accidens respectu hominis, est tamen proprium respectu corporis mixti, & per id solum diffinietur: itaque hæc erit per accidens, animal est coloratum, hæc tamen per se secundo modo, corpus mixtum est coloratum. dixi siue disiunctim, quia sunt multa accidentia, quæ licet absolutè nullum sibi determinent proprium subiectum, à cuius principijs essentialibus fluant, disiunctim tamen id habent: verbi gratia, par, quidem numeri non est proprium, non enim omnis numerus est par, sed par vel impar disiunctim propria est eius passio: veritas vel falsitas propositionis: simitas vel aquilitas nasi. longior in his fui, quia licet multi de his multa dixerint, nescio an vllus (absit verbo inuidia) veritatem vel à longe salutauerit. Tertius modus perseitatis est (vt multi loquuntur) quando prædicatum est directus & per se intentus effectus subiecti, seu quando subiectum denotat formaliter causam prædicati efficientem:*

*vt ædificator ædificat. dixi formaliter, quia hæc homo ædificat non est per se tertio modo, sed per accidens omnino: quia quamuis homo solus sit qui ædificat, non tamen quia homo, sed quia ædificator. Sed hic tertius modus non semper seruit demonstrationi. solent satis abs re alium modum perseitatis incomplexæ addere, scilicet omnem terminum significantem rem per se existentem, sed hic nihil ad rem, loquimur quippe de perseitatibus facientibus propositiones necessarias. Sumitur autem sufficientia illorum trium modorum ex eo quod ly, per, semper dicit causam, cumq; causa sit quadruplex: primus modus sumitur à formali, quæ est diffinitio, habet enim se per modum formæ, secundus à materiali seu subiecto quod intrat diffinitionem passionis seu materia, tertius ab efficiente, itaq; restat sola finalis, nunquam enim ly, per, illam denotat: incongruè enim diceretur, domum esse per tutelam ad imbribus: sicut quod est aut fit per artificem, per talem figuram, per lateres, & ligna.*

## De ly vniuersaliter. Cap. 6.

*Dici vniuersaliter, est ferè idem quod dici conuertibiliter, est enim vniuersale in demonstratione, prædicatum quod de omni per se & secundum quod ipsum dicitur de subiecto. duæ primæ particulæ iam sunt expositæ. Tertia verò idem pollet ac, primo, siue non per aliud, voco aũt aliud in præsentia quidquid cũ subiecto non cõuertitur: uerbigratia, sensibile*

quidem

quidem de homine prædicatur de omni, & per se primo, non tamen vniuersaliter, quia non competit nec inest homini per prius seu in eo quod homo, sed in eo quod animal: prius enim competit animali & quia homo animal est, homini: itaq; licet animal sit genus hominis, tamen non conuertitur cum homine, at risibile vniuersaliter competit homini, & rationali item, quia licet rationale non sit omnino idem cum homine sed pars eius, conuertitur tamen cum eo, vnde ex dictis elicitur, hæc tria, dici de omni, per se, & vniuersaliter, nec omnino esse eadem nec omnino diuersa, sed habere se sicut superius & inferius: nam omne quod est vniuersale seu dicitur vniuersaliter de aliquo, dicitur per se, & de omni, de illo, non econtra: & omne quod per se, de omni, non econtra. & ideo ly vniuersale diffiniuimus per ly de omni, & per se, ceu superiora, & addidimus secundum quod ipsum, ad differentiam illorum.

## De immediata propositione. Cap. 7.

EX dictis elucere incipit quales debeant hucusq; esse demonstrationis præmissæ, diximus enim debere esse necessarias, has autem esse in quibus de omni per se & vniuersaliter prædicatũ dicatur de subiecto, item veras nam falsum (vt dixi) licet possit inferre verum non tamen potest esse causa illius, nam quod non est non est causa entis, item primas, & immediatas, id est, inter quarum subiectum & prædicatum nullum sit mediũ per quod demonstrari queant,

est

*est autem medium in demonstratione semper causa prædicati conclusionis, seu maioris extremitatis quod idem est: erit ergo propositio immediata cuius subiectum fuerit immediata causa prædicati. nam licet secunda vel tertia passio (fluunt enim hæ suo ordine seruato, prima à diffinitione, secunda à prima, & sic consequenter) demonstrentur per primam & secundam, vnde necesse est aliquam præmißarum (in qua scilicet illa prædicetur de subiecto) eße demonstrabilem per diffinitionem, non tamen erit demonstrata talis conclusio simpliciter, vsq; quo eiusmodi præmissa demonstretur, deueniaturq; tandem ad demonstrationem quæ ex immediatis procedat: verbi gratia, in hac, omne disciplinatiuum est risibile, omnis homo est disciplinatiuus, ergo omnis homo est risibilis: minor non est immediata, potest enim demonstrari per diffinitionem, & hoc, supposito disciplinatiuum eße primam passionem, secundã risibile: dicunturq; ideo hæ præmissæ demonstratiuæ, principia, quia per eas aliæ demonstrantur, ipsæ per nullas. Harum sunt duo gradus, aliæ quas nemo debet petere à magistro, sed notis terminorum significationibus statim percipere & assentiri eis, vocanturq; hæ dignitates quales illæ, Quodlibet est vel non est, & similes. aliæ sunt quas nõ oportet ita prænoscere sed à magistro sumere, quales sunt omnes eæ immediatæ, quæ diffinitiones rerũ continent: & quanquam demonstrari à priori nequeant, debent tamen à præceptore supponi & manifestari: quamobrem suppositiones dicuntur. si tamen diffinitionem absq; copula quæ propositionẽ faciat sumpseris,*

*ris,*

*ris,positiones appellantur. Atqui dignitatum,alia generalis quæ ad omnem scientiam est necessaria vt supra adducta,alia peculiaris alicui scientiæ, vt, si ab æqualibus æqualia demas quæ remanent sunt æqualia,in Mathematicis. Horum ergo principiorum omnium cognitio non dicitur scientia, sed nobiliori quodam vocabulo, propter suã excellentiam(vnico enim intuitu sine discursu acquiritur) potentiæ ipsius nomen sortitur & dicitur intellectus. Oportet item præmissas demonstrationis esse causas non solum cognoscendi sed & essendi cõclusionis:& hinc elicitur alia particula ab aliquibus addita, à nobis ideo omissa, quia sub præcedenti continetur, scilicet,quod sint notiores conclusione, nam si propter quod vnumquodq; tale & illud magis(vt vult philosophus) & propter præmissas cognoscimus conclusionẽ, magis ergo oportet cognoscere præmissas. notiores(inquam) simpliciter,non quo ad nos tantum,notiora autem ea sunt simpliciter, quæ notiora naturæ,cui notiores in vniuersum sunt causæ quam effectus.*

## De duplici necessitate. Cap. 8.

*Postquam propositionem necessariam diffiniuimus (vt scientificè procedamus) diuidere illam oportet: est nanq; in triplici differentia. alia quippe ita est necessaria vt per nullam potentiam eius necessitas possit impediri, vt sunt illæ, quatuor & tria sunt septem, si ab æqualibus &c. omne totum est maius sua parte: & denique omnes veritates Metaphysicæ & Mathematicæ.*

*Mathematicæ. alia quæ licet non pro quolibet instanti aut tempore sit vera est tamen vera indefectibiliter pro tempore sibi à natura statuto, vt oritur sol & occidit, Luna eclypsatur, Rosa est: & multæ aliæ veritates Physicæ. alia est in infimo gradu necessitatis, cuius scilicet prædicatum nec semper nec statuto tempore indefectibiliter inest subiecto, sed regulariter tantum & vt in plurimum, vt sunt multæ veritates morales aut ferè omnes, & aliquæ naturales: vt quod pluat flante Austro, quod Boreas dissipet nubes. et hæ omnes deseruiunt demonstrationi secundum exigentiam scientiæ peculiaris ad quam traduntur: nam ijdem sunt gradus certitudinis in scientijs, qui necessitatis in propositionibus.*

## De fallacia circa inuentionem vniuersalis. Cap. 9.

*EST autem aduertendum contingere nos falli circa inuentionem prædicati vniuersalis tripliciter: Nempe primo, quādo alicuius generis cui primo cōpetit tale prædicatum non est nisi vnica species, aut speciei vnicum indiuiduum: exemplum primi, si non essent alia animalia quam homines & demonstraretur risibile de homine per sensibile: exemplum secundi, si quis de hac terra peculiariter aliquid demonstraret per subsidentiā eius in centro, quæ illi nō qua hæc terra, sed qua terra in vniuersali est primo competit. secundo fallimur quando ei cui vniuersaliter prædicatum conuenit, non habet nomen distinctum à*

*nominibus suorum inferiorum : verbi gratia , si cani & lupo sit aliquod genus , aut habitui & dispositioni immediatum, quod tamen si ita est, innominatum est & demonstraretur de lupo vel habitu seorsum , aliquid quod generi suo primò conueniret. Tertio, Quando propria passio quæ primò conuenit rationi genericæ, attribuitur alicui speciei quæ secundum rem conuertitur cum illa, non tamen secundũ rationem: exempla sunt Mathematica ac ideo obiter pertranseunda, lineæ parallelæ sunt duæ lineæ rectæ super quas recta incidens constituit cum illis duos angulos interiores ex eadem parte aut rectos aut æquales duobus rectis, vt patet in margine : passio earum propria est quod nunquã concurrent licet in infinitum protrahantur qua qua versum, si ergo quis credat hanc vniuersaliter & primo conuenire ijs omnibus super quas recta incidens constituerit duos æquales duobus rectis, falletur : non enim conuenit primo nisi ijs super quas incidens recta constituerit aut æquales rectis aut rectos: vt ostensum est in subiectis figuris . Sit ergo (ne quis in his decipiatur) vnica regula infallibilis, quod illud solũ quo remoto prædicatũ non remanet, & quo solo posito & circunscripto ponitur, erit subiectũ, cui primò & vniuersaliter tale prædicatum competet.*





## Epilogus dictorum. Cap. 10.

*Vt ergo dicta ad propositum trahamus : omnis propositio cuius prædicatum est per se primo aut secundo modo in subiecto , potest (secundum aliquos)*

*quos) esse præmissa demonstrationis: nam de conclusione postea. sed dices? quare ergo additum est quod sit vniuersale? Respondetur quod (salua Doctissimorum authoritate quorum ea erat opinio) adhuc requiritur vt aliqua sit præmissa demonstrationis, quod sit de prædicato vniuersali, nam talis sola est immediata, (quales diximus oportere esse) aut saltem resolubilis in alias de vniuersali, id est, quod sciantur resolui in illas: alias conclusio non erit scita neq; subinde demonstrata. quin neq; omnis propositio de prædicato vniuersali est immediata, nam diximus hanc esse de vniuersali, omnis homo est risibilis, quippe vbi sufficit quod primò prædicatum competat subiecto aut conuertibili cum illo, non tamen est immediata, & hoc mente recole: nam aliàs superfluè profecto in diffinitione addidissemus particulam ex primis. adde nec omnem de per se primo aut secundo modo esse necessariam necessitate sufficiente ad præmissas, in quo aut ego aut multi falluntur, bene tamen necessitate sufficiente ad conclusionem: vt postea videbimus. Cum ideo illos tres terminos, scilicet, de omni, per se, & vniuersaliter, non frustra Aristoteles adinuenerit, vt propositionem huiusmodi necessariam constitueret. nec turbet lectorem quod indifferenter his terminis modo propositionem ipsam modo prædicatum eius denominemus, cum idem polleat: factum enim eo tantum consilio id à nobis est, vt diuersimode loquentes autores lector intelligeret nostra phrasi admonitus.*

## De quarta particula diffinitionis. Cap. II.

*Est alia diffinitionis particula, ex proprijs, illius inquam scientiæ in qua fit demonstratio, aut suæ subalternantis si illã habeat: diximus enim iam præter illas dignitates quæ communissimæ sunt omnibus scientijs, alias esse cuius peculiares vt Mathematicæ, si ab æqualibus æqualia demas, Medicinæ, contraria contrarijs curantur: philosophiæ naturali, omne materiale est mobile. Ad pleniorem tamen horum intelligentiam est sciendum quot sint scientiæ, & quo modo distinguantur, quidq; sit scientia subalternans & subalternata. Distinguntur autem scientiæ (vt in procemio primi libri diximus) sicut reliqui habitus & potentiæ per obiecta, formalia quidem non materialia: quod est dicere non vt diuersas rationes habent essendi sed cognoscendi passiuè seu (vt plures loquuntur) cognoscibilis vel scibilis. dictum etiam est rationes scibilis distingui penes diuersas abstractiones seu modos abstrahendi, & talis abstractio vocatur ratio formalis obiecti: verbi gratia, Mathematicæ omnes agunt de vnico genere, scilicet, quantitate, distinguuntur tamen quia vna abstrahit quantitatem à continuitate, alia non, & ideo sunt plures scientiæ Mathematicæ. item philosophia naturalis agit de ente naturali in quo sunt & substantiæ & accidentia plusquam genere distincta, tamen scientia quæ de illis agit est vnica quia sub vna specifica abstractione, scilicet, vt cõcernunt motũ, quẽ æquè concernunt*

*cernunt*

*cernunt omnia illa. ex his elucere iam incipit omnium ſcientiarum obiecta ſpecificè ad minus (in ratione inquam ſcibilis) differre. ſunt tamen in hac diſtinctione gradus, aliæ enim ſcientiæ habent omnino diuerſa obiecta ut Geometria et Phyſica, aliæ nõ ita, ſed ut ſubiectum unius addat aliquid uel eſſentiale uel accidentale ad obiectum alterius, primum, ut ea quæ de corpore mobili circulariter, ad eã quæ de mobili in genere tractat, & ſic ambæ erunt una ſcientia, diſtinctæ tantum ut totum & pars: ſecundũ, ut ea quæ de numero ſonoro, ad eam quæ de numero ſimpliciter, dicunturq; hæ diſtingui ut ſubalternans & ſubalternata: ut hæc ſit quæ aliquid accidẽtale ſubiecto ſubalternantis addit. Eſt ſecundo notandũ quod in unaquaq; ſcientia ac proinde demonſtratione tria ſunt conſideranda, ſubiectum, propria paſſio, & principia ſeu propoſitiones immediatæ, per quas ipſa de illo ſcitur & demonſtratur. His ſuppoſitis accipe tres propoſitiones: prima, illæ ſcientiæ, quæ nullatenus cõmunicant in ſubiecto nõ poſſunt iiſdem principiis uti, niſi peculiariter applicentur. & ratio eſt, quia cum omnis demonſtratio debeat procedere ex propoſitionibus per ſe, quæ componũtur ex ſubiecto et diffinitionibus ſeu cauſis eius, ſi ex iis fierent, fierent præmiſſæ per accidens. Sola enim diffinitio & propria paſsio (ut diximus) faciunt propoſitiones per ſe, uniuerſales, ac neceſſarias. Secunda propoſitio, reliquæ ſcientiæ, quæ aut ſe habent ut totum & pars, aut ut ſubalternãs & ſubalternata, optimè poſſunt uti principiis communibus, ita tamen ut propoſitiones, quæ demonſtratæ ſunt*

*in totali*

*in totali aut ſubalternāte, ſint ceu principia immediata in partiali aut ſubalternata: et hæc ſequitur, ex prima. & ex hac tertia, nēpe quod ſi quæ fuerint ſciētiæ quarū ſubiecta ſe habuerint ad ſubiecta omniū aliarū ſicut ſubalternantium ad ſubalternas, oēs aliæ poterūt vti illarū, principijs temperamēto iam nunc adhibito, ſed tales ſunt Methaphyſica & Logica, vnde illarum principijs vtuntur oēs aliæ ſaltim virtualiter: ſaltim (inquam) quia illa duo earum cōmuniſſima principia, quodlibet eſt vel nō eſt, de quolibet affirmatio vel negatio vera, & alia huiuſmodi, nequeūt cōmodè intrare vt iacent ſyllogiſmum & ſubinde demonſtrationē, niſi fiat proſyllogiſmus: aliàs enim argueretur in quatuór terminis. Dixi in prima propoſitione, niſi peculiariter applicētur, nā licet Geometria & Arithmetica ſint omnino diuerſæ, vtūtur tamen eodem illo principio ſi ab æqualibus &c. applicato quidē, nam Geometra dicit ſi ab æqualibus magnitudinibus: Arithemeticus ſi ab æqualibus numeris. Demum ex omnibus dictis liquidò deducitur ad has communisſimas ſcientias, ſcilicet Methaphyſicam & Logicam pertinere probare ſeu demōſtrare. omnia aliarū principia, quæ in ipſis diximus ſupponi debere, diuerſimodè tamen Methaphyſica enim probat ea primeintētionaliter, logica verò vt cadunt ſub ſecunda intentione.*

## De vltima particula. Cap. 12.

E*Rat tandem vltima diffinitionis particula ly, Cauſis, eſt autem cauſa eſſendi (nam de hac loquimur)*

*mur) res ad cuius esse aliud sequitur, atque hæc est quadruplex: duæ intrinsecæ, scilicet materia & forma, & duæ extrinsecæ, scilicet efficiens & finis, qui quidem est prima causarum, nam ea mouet efficiens vt introducat formā in materia, atq; ideo ex ea pendet necessitas materiæ: nam efficiens secundū intentum finem quærit & introducit formam, ad quam cōueniēter disponit materiam. Cum ergo per omnes has fiant demōstrationes (quælibet enim earum potest esse medium) scire est opus quem ordinem inter se seruēt. qui nimirum is est, vt materialis demonstrari per reliquas tres possit, formalis per agentem & finem, efficiens demum per finem. Debet enim demonstratio esse ex prioribus, ipsæ autem inter se prædictū ordictum ordinem seruant, itaque si tam præmissæ quam conclusio ex causis constent, priores earum dicuntur causæ posteriorum: & ideo ordine suo vna per aliam demonstratur, vt nos docendo obseruauimus, ex fine quippe demōstrationis, qui est, scire, venati sumus formam & materiam eius quas continet hæc diffinitio. Sciendum tamen quod cum vnus effectus semper sequitur ex omni & sola tali causa, dicitur effectus adæquatus, vt lactescere à partu: econtra verò qui non recurrant & indæquati, bifariam sunt diuisi: aut enim sequuntur ex tali sola, non tamen omni causa, vt moueri progressiuè est effectus animæ solius, non tamen omnis, quia neque plantæ neque ostreæ ita mouentur: aut ex omni tali sed non sola, vt viuere ab animali, quia omne animal uiuit, non*

*non tamen solum, quia & plantæ viuunt. & hæc, propter suo loco dicenda de Demonstratione, Quia, obiter notauimus.*

## De pleniore expositione diffinitionis. Cap. 13.

*ADuerte tamen ad pleniorem intelligentiā huius diffinitionis quod demonstratio non tantum requirit præmissas esse neceßarias in se & causas. Sed adhuc quod necessitas & (vt ita dicam) primitas & proprietas ac prioritas sit etiam in consequētia: idest, quòd & sint in se ad modum supra expositum necessaria, primæ, &c. & quod sint tales respectu conclusionis. & ideo nos diffinitionem eius ita aptauimus, vt adiectiua illa cum substantiuo ly, causis, copularemus: quod profecto nescio an quisquam aduerterint. Aiunt quippe omnes hanc diffinitionē apud Aristotelem (à quo nos eam desumpsimus) esse tantum materialem, cum (vt in præcedenti capite asserimus) nobis formalis etiam sit: forma enim syllogismi essentialis est vis consequentiæ. Vnde validissimū sanè pro nobis est argumentum quod Topicus & Demonstratiuus specie & forma eßentiali (quod idem est) differant, id quod toties repetimus, quia scimus paradoxum quamplurimis visum iri. Atq; ita patet nō solum quando conclusio est ex effectu seu passione conflata, præmissas debere eße ex prioribus, vtpote causis, sed & quando demonstratur vna causa per aliam, ut nunc nunc ostendebamus. vnde sequitur nō omnem*

*propositionem, cuius prædicatũ sit causa subiecti eſse indemonstrabilem & immediatam, sed illam solam, quæ continet causas omnes, vt est perfecta diffinitio. aut saltem finalem: quæ quia prima causarum est, & vt plurimum coincidit cum forma, ideo forma à qua sumitur diffinitio semper est medium in Demonstratione potissima, de qua agimus: ac per consequens constituit propositionem omnino immediatam: de cuius inuentione paulo inferius iam iam agemus.*

## Consectaria ex dictis. Cap. 14.

EST *ex dictis manifestum Demonstrationem nullam esse posse de singularibus, cum sit ex necessarijs & perpetuis, cuiusmodi non sunt sensibilia: & ideo diximus scientiam esse vniuersalium. Nihilominus tamen vt ob oculos breui, & apposito artificio omnem nostram cognitionem ponamus: Primo pro comperto statuendum, quod omnis ea incipit à singularibus, ac proinde à sensu, ex illis enim per inductionem colligimus vniuersalia, quam ideo priorem esse diximus syllogismo, & prius de ea ordine legitimo tractauimus. Deinde ex vniuersali, collecto per inductionem alia vniuersalia obscuriora demonstramus: volo dicere quod omnia, ea quæ supponimus, atque adeo de quibus superius ostendimus neque esse scientiam neq; demonstrationem, præter illa quatuor communissima principia (quæ nobis uelut scientiarum seminaria à principio indita docuimus) non aliter quam a sensus cognitione percipere possumus: hoc*

*nimirum*

*nimirum ordine, vt ex pluribus ſenſationibus fiat experientia, ex qua per inductionem, intellectus deueniat tandem in vniuerſalia principia, è quibus poſtea per ſyllogiſmum deducat concluſiones. Itaque ſingularia aut ſenſu, aut analogia, ideſt, comparatione cognoſcimus: principia autem inductione & analogia: concluſiones verò ſyllogiſmo: inter quos ſola demonſtratio facit ſcire. Nam triplicem poſſumus vniuerſalis habere cognitionem, præter intellectum, ſcilicet, aut certisſimam & claram, ſeu euidentem, & hæc eſt ſcientia (cui opponitur contrariè ignorantia quam vocãt prauæ diſpoſitionis nempe error, priuatiuè verò ignorantia purè negationis, quæ ſimpliciter eſt, & dicitur inſcitia & ignorantia: illa quidem inducitur per ſyllogiſmum falſigraphum, qui eſt mala demonſtratio, ea nempe quæ ex principijs, alicuius ſcientiæ male intellectis procedit: vt ſi quis pro principio Phyſicæ ſumeret leuia deſcendere, ex quo demonſtraret terram eſſe leuem: incurritur etiam auctoritate falſa, aut ſenſus defectu. Hæc verò antequam ſcientia habeatur, contingit dupliciter, aut quia id non didicit, aut quia ſenſum talis obiecti non habuit, vt cæcus natus coloris: Poſtea verò quam ſcientia eſt acquiſita contingit illam amitti aut corruptione, ſubiecti, ſcilicet, morte, aut obliuione, vt feruntur aliqui longiſſimo aut grauisſimo morbo memoriam amiſiſſe) vel cognitionem, neque euidentem aut claram, neq; certisſimam, ſed probabilem tãtum, & hæc eſt opinio, quæ acquiritur per Topicum ſeu*

*Dialecticum syllogismum de quo postea. est autem opinio vt ex dictis patet cognitio seu assensus non necessarius obiecti non necessarij, seu æstimati non necessarij. vel vltimo possumus uniuersalis habere cognitionem certissimam sed obscuram, & est fides, scilicet, assensus certus & ineuidens seu obscurus obiecti necessarij: loquor de fide Catholica, nam fides humana coincidit ferè cum opinione, nisi quod hæc vt plurimum acquiritur ratiocinatione, illa verò amba sola auctoritate.*

## Alia corollaria. Cap. 15.

*DIctum est satis de præmissis, quæ solæ ab Aristotele vocantur demonstratio, conclusionem enim potius ille appellat effectum demonstrationis aut syllogismi quam syllogismum: vnde & elucescit illam debere esse scientiam, cum demonstratio nil aliud sit quã syllogismus faciens scire: scientiam aũt iam diximus debere esse certam & necessariam quod ex dictis de demonstratione etiam patet, nam ex necessario nõ sequitur contingens aut falsum, sicut nec ex vero falsum, vt libro superiore ostensum est. Patet item ex ijsdem, prius cognosci præmissas quam conclusionem saltim natura, idest semper esse causas conclusionis, ut prædeclaratum est: quin & maior saltim prius tempore etiam semper cognoscitur: vnde est regula cognita maiore & minore, simul tempore cognoscitur conclusio; quæ modo supradicto intelligenda est. quod autem non solum prius sed & magis notæ debeãt esse, uel*

*se, vel ex eo liquet, quod illæ per habitum nobiliorem cognoscuntur, scilicet per intellectum, conclusio uerò per sciētiam, quorum (scilicet intellectus & scientiæ) aggregatum, dicitur sapientia: quæ omnes causas etiam altissimas vsque ad ipsam primam & absolutissimam omnium aliarum considerat.*

## De multiplici demonstratione. Cap. 16.

H*Actenus Demonstrationem effinximus qualiter oratorem Cicero, non quidem qualis ipsa possit sed qualis si possit esse debeat. sed quia nobis causæ tam primæ quam proximæ vt plurimum latēt, & noster ordo cognoscendi imperfectus vult à notioribus non naturæ, sed sibi incboare, sæpe res cognoscimus per effectus: & quamuis hæc cognitio non sit simpliciter scientia habet tamen scientiæ certitudinem, licet deficiat ab eius ratione eo quod per causam non est, & ideo ad illam reducitur, scientiaq; licet impropriè nuncupatur: & acquiritur alio syllogismo certo quidem, non tamen semper procedente ex causis essendi, sed cognoscendi, qui multoties effectus sunt, & talis vocatur Demōstratio, non simpliciter, sed, Quod, vel, Quia est, idest, quæ rem ita esse ostēdit, non tamē propter quid ita sit. Hucusque ergo de Demonstratione (quæ, eo quod & qualis sit res & propter quid talis ostendat, Propter quid, appellatur) diximus. Dicitur autem Demōstratio Propter quid & potissima quam hucusq; depinximus. qđ si ab illa deficiat ita ut per causas, non tamen primas & immediatas syllogizet,*

*Propter quid, dicitur sanè, sed non potissima: & quia rectum index est sui obliqui, ex ea quæ propriè & simpliciter est Demonstratio facilè erit Demonstrationem, Quia, venari: solum enim ab illa differt, quod illa syllogizat per causas immediatas effectus adæquatos, hæc vero econtra vel causas per effectus, vt planetas propè esse per non scintillare, cum eo non scintillent, quia propè sunt, vel effectus quidem, sed inadæquatos per causam non vniuersalem, idest, inadæquatam aut remotam, vel inter quam & effectum mediet causa: vt in superioribus est declaratum. Est & alia Demonstratio, quæ vocatur per impossibile, vt cum probo aliquid esse verum per falsitatem sui contradictorij aut econtra: sed hæc reducitur ad prædictas, & vocatur peculiari nomine syllogismus instantiuus, de quo in superiore libro mentionem non fecimus, huc cum reseruantes: est enim aduertendum quod alius est syllogismus per impossibile de quo ibi scripsimus, alius hic, nam ille solum probat bonitatem consequentiæ, hic solam veritatem alicuius præmissæ. Omittimus exempla quo curiosis aliquid relinquamus.*

## De verè scitis. Cap. 17.

EX *dictis habemus per Demonstrationem, Quia, solam sciri tertiam interrogationem ex quatuor*

quos

*quos in fronte libri propoſuimus, ſcilicet, qualis res ſit. Per Demoſtrationem verò, Propter quid, duas vltimas, tertiam nempe & quartam, qualis ſit, & propter quid talis. item habemus quod eæ quæ in peculiaribus ſcientijs ſunt indemonſtrabiles ſecundum proprium obiectum, in alijs puta in ſuperiore, aut ſubalternante ſunt demonſtrabiles. Cumq; Metaphyſica & Dialectica ſint ſubalternantes omnium aliarum, patet contra negantes principia (ut eſt in prouerbio) in aliqua peculiari ſcientia, eſſe recurrendum ad has duas, ſi illos reuincere velimus. Sequitur etiam vlterius ex dictis, omnia principia aliarum ſcientiarum ſciri poße per Demonſtrationem, ac proinde Methaphyſicalia, & Dialectica omnino eſſe immediata & indemonſtrabilia: atque adeo contra negantes ipſa non eſſe quo recurramus niſi fuſtibus & flagris (quod aiunt) cum eorum proteruia pugnemus. & vt vno verbo me colligam, licet ex illis quatuor interrogationibus duas tantum vltimas ſciri dixerimus, intelligendum tamen eſt, loquendo de vnaqualibet peculiari ſcientia ſcorſum intra ſuos peculiares limites ſumpta, nam ſi in vniuerſum de omni ſcientia loquamur, reuera omnes illæ interrogationes demonſtrantur tandem aut ſentiuntur: & ratio à priori eſt, quia vna peculiaris ſcientia per vnam peculiarem cauſam demonſtrat: verbi gratia, Phyſicus per materiam, Mathematicus per formam, moralis per finem maximè demonſtrant. Exiſtentia autem*

*quam*

*quam denotat, ly an est, & quidditas seu diffinitio quam innuit ly, propter quid est, cum ipsamet sint formalia principia (nam esse est effectus formæ à qua sumitur diffinitio) non habent causam aliam præter efficientem: reliquas enim ipsamet finitio solet includere. Per hanc autem solus Metaphysicus & Dialecticus (qui per omnes ceu vniuersales artifices syllogizant) demonstrare poßunt. & inde est quod demonstrant diffinitiones omnium aliarum scientiarum, quin & existentiam, non dico actualem, omnium obiectorum scibilium, (nam hanc sensu per sensibilia accidentia percipimus, nec est necessaria vt quippiam sciatur) sed potentialem, scilicet non repugnare tale aut tale ens esse in rerum natura probant & demonstrant. illæ ergo duæ quæstiones simpliciter loquendo de omni ambitu scientiarum nō demonstrantur, neque possunt sciri à priori de subiecto Metaphysicæ & Dialecticæ, quippe quæ nullam habeant supra se scientiam subalternantem. Quin neque à priori possumus de separatis à materia aliquid scire in hac vita, eo quod (vt diximus) omnis scientia ex præexistente & præsuppositа fit cognitione, aut intellectiua aut sensitiua, & de illis neq; intellectiuam (cum pendeat in nobis à sensu) neq; sensitiuam (cum non sint sensibilia) habere possumus: bene tamen à posteriori aliquid de illis per demonstrationem, Quia est, poßumus scire. Sed hæc altioris sunt negotij.*

*De arte*

## De Arte diffinitiua. Cap. 18.

HIC QVOQVE *ordine quo in superiore libro post dispositionem præmissarum de inuentione medij demonstratiui in animo est sermonem ordiri, & quis inuentio dicatur præcedere debere, semper tamē credidi nihil rectè apteque inueniri posse, nisi præsciatur id cuius gratia inuenire contendas aliud. Quo enim pacto ligna quispiam domus ædificandæ eliget idonea? nisi prius intellexerit qualis quantaq; domus sit erigenda? vt & longitudinem & crassitiem numerumq; inuenire queat? aliàs accidet profectò illi quod Arato vrbē quandam in Acrocorintho vi capere & proditione conanti: qui cum à suarum partium ciuibus summo mane & insperato vrbem aggredi & subire moneretur, nec murorum altitudinem considerasset, scalas adeo breues deuehens vt pinnas superare non posset, ea sola ratione incepto frustratus, infecto negotio reuerti coactus est. Cum ergo tres demonstrationes discreuerimus, duas propter quid, potissimam, scilicet & quæ per causam remotam seu mediatam, & aliam, Quia, seu Quod est: cuiusq; seorsum media tractabimus: et primo nobilissimæ & potissimæ, cuius in vniuersum medium est diffinitio, vt ex dictis liquet. cum enim præmissæ debeant esse immediatæ in ea, & medium causa immediata ac proxima extremitatū, dixerimusq; subiectum esse semper minorem, passionem vero maiorem extremitates, nulla est immediatior causa vtriusq; quam diffinitio, quæ & subiecti est*

*causa*

*causa (nam vt infra patebit datur per causas) & ab illa fluunt passiones. & hactenus de quæstione an sit, nempe medium. Quid autem sit diffinitio iam dicendum. est autem oratio rei naturam seu essentiam explicans, aut nominis significationem: & vt clarius dicam, est rei quædam circunscripta explicatio. ex his diffinitionibus liquet duplicem esse diffinitionem: aliam quæ quid sit res declarat, vnde & vocatur, Quid rei, aliam quæ quid nomen significet, & vocatur, Quid nominis: exemplũ primæ, homo est animal rationale: exemplum secundæ, album est corpus habens albedinem. & licet fere omnes significationes nominum maxime absolutorum nequeant explicari nisi per naturas rerum, sunt tamen alij modi explicandi vsitati, vt ætimologia, & circunloquutio, qui omnes certè sunt diffinitiones, Quid nominis: sed hæ non sunt nostri negotij. Quid autem rei, est, quotuplex est scientia, vna quæq; enim scientia (quod nescio an quisquam aduerterit) secundum rationem formalem (nempe abstractionem) sub qua obiectũ considerat, sub ea diffinit: veluti qui per speculum viride videt, cuncta quæ videt, sua magnitudine & figura videt, sed colore viridi omnia. Itaque cum Metaphysicus & Logicus de ente considerent, cuius prima passio est vnitas, quæ supra esse addit intrinsecè distinctionem ab alijs: (duo enim considerantur prima in ente quolibet vt in prædicabilibus diximus) & id in quo conuenit cum alijs eiusdem generis, scilicet, ipsum genus, & id per quòd differt ab alijs*

*ab alijs quod est differentia, ideo rem quamlibet per hæc duo vterq; diffinit. constat ergo diffinitio omnis tam Metaphysica quam Logica genere & differentia: & quia hæc diffinitio cum sit vtriusq; communissimæ scientiæ, ad alias omnes vtpotè subalternas descendit, & est præcipua inter omnes, perfectissimaq; in suo genere, tractanda à nobis erit fusius vt regula & mensura cæterarum. Sunt enim qui putent diffiniendi artem inuentam adhuc non omnino esse: quare nos nulli labori parcemus quo sub breuitatis typo hanc rem quantum fieri poterit in methodum & artem digeramus, quò nobis posteritas aliquid debere possit. Prius autem oportet quædam supponere & præfari.*

## De prædicamentis logicis. Cap. 19.

*OMne quod diffinitur aut est, aut non est: si sit, in aliquo decem predicamentorum sit oportet: nam de primo Ente nunc non est sermo. si vero non sit à parte rei, aut fundamentum habet in re, aut secus: & vtrunq; quidem sub analogo nomine entis rationis continetur. nemo tamen adhuc exactius id ad genera vsq; & series prædicabilium deduxit, cum tamen entia rationis passim diffiniantur, quæcunq; autem finiuntur per genera & differentias finiri debeant, genera autem per prædicamentorum series debeant quæri, differentiæ per generum diuisiones:*

*diuisiones: operepretium ergo erit id tentare. Entium itaque rationis tria sunt generalissima & uniuoca (saltem vt communis fert opinio) prædicamenta, vt ita dixerim, seu genera, per modos intrinsecos essendi rationis distincta: nempe, Negatio, Priuatio Relatio, & de his seorsum agendum.*

## De Negatione. Cap. 20.

N*Egatio ergo à quo velut nobilissimo incipiendũ, (est enim purius rationis ens, & perfectius talem entitatem participat) est ens effectiuè & subiectiuè, idest, à solo, & in solo intellectu esse habens. effectiuè (inquam) quia ab ipso solo intellectu fabricatur: subiectiue, quia in ipso solo est, sine vllo fundamento reali saltem adæquato: vt chymera, non ens, & quæcunq; talia sunt. eo enim dicitur negatio, quia esse reale omnino negat tam formaliter quam fundamentaliter. est ergo in hac diffinitione, Ens rationis, non quidem genus cum sit analogum, sed vice generis, in quo conuenit cum relatione & priuatione: reliquæ particulæ ad differentiam ipsarum: & quia quod non est, de se est indeterminatum & ideo indiffinibile, nisi per Analogiam ad entia realia (est autem Analogia proportio quædam, ac si diceres, Chymera est animal habens caput capræ, iubam leæ, &c.) ideo de ipso neq; uerbum amplius.*

## De Priuatione. Cap. 21.

PRiuatio autem (quæ licet ignobilior in hoc genere sit, vtpote magis accedens ad naturam entis realis, tamen quia ad relationem festinat oratio de qua nobis fusius est scribendum, ideo hunc licet non suum obiter occupauit locum ) est carentia alicuius rei in subiecto apto nato habere illam, seu vt eodem tenore omnia diffiniamus, est ens rationis fundamentum propinquum habens in re: vt cæcitas est carentia visus in animali apto nato habere illum, estq; ens rationis formaliter, materialiter tamen est ens reale, carentia enim quæ est formale priuationis nihil ponit in re, nisi negationem. De materiali verò ponit subiectum aptum natum quod est ens reale: & hoc subiectum vocamus fundamentum: Propinquum, autem ad differentiam relationis vt iamiam videbimus. de hoc qui plura volet, recurrat ad cap. 18. primi libri: nam pro præsenti loco hæc sunt logico plusquam satis. cum enim fundamentum propinquũ habeat in re, per idq; velut accidens omne per proprium subiectum diffiniatur, & per formam sibi oppositam, ad id sanè sufficiet prædicamenta realia recolere. verbi gratia, si quæratur quid sint tenebræ, inuestigabo circa quod subiectum versentur, & cum pro genere posuero diffinitionem priuationis, seu si propinquum & immediatum voluero subiectum etiam, pro differentia addam formam, cuius est carentia, nam hæc sibi opponitur. dicam ergo tenebras esse carentiam lucis in

aere

*aëre apto nato habere illam : vel sufficit subiectum, scilicet aerem nominare cum non versetur nisi circa aptum natum.*


## De Relatione rationis. Cap. 22.

*RElatio autem rationis (de qua totus nobis futurus est sermo quippe quæ per prædicamenta realia diffiniri nullo modo potest, & diffinitiones eius sunt necessariæ ad omnium rationalium scientiarum, quæ id pro subiecto habent, notitiam,) est ens rationis effectiuè & formaliter ab intellectu productum, habens tamen fundamentum remotum in re. quam diffinitionem facillime percipiet, qui recolet ea quæ in prædicamētis de relatione reali diximus: in hac enim sicut & in illa sunt tria, subiectum, fundamentum, & terminus: verbi gratia, species est relatio rationis, subiectum cuius est id quod à tali relatione denominationem suscipit, seu de quo illa prædicatur: scilicet, homo, supponens simpliciter pro natura cōmuni, qui homo, non est (vt Plato arbitrabatur) in re, nec ens reale, habet tamen fundamentum in re, scilicet, singularia in quibus inuenitur talis natura. terminus est genus ad quod relatiuè dicitur species, scilicet, animal. Subiectum ergo talis relationis fundatur in rebus singularibus in quibus inuenitur, & illud fundamentum subiecti quidem est propinquum, sed remotum relationis, nam fundamentū propinquum (vt ita dixerim) specieitatis est eße sub genere. Aliud exemplum,*

*plum, nomen, est relatio rationis: subiectum eius est, ly, homo, in quantum significans: fundamentum huius relationis est, significatio sine tempore: terminus huius relationis est res significata per ly, homo: fundamentum remotum, hoc ens reale ly, homo, quod est vox de genere qualitatis.*

## De Vniuersali & Signo. Cap. 23.

HAEC *relatio rationis habet duo genera sub se, aliud quod immediatè cōuenit ipsis rerum conceptibus & dicitur Vniuersale, aliud quod conuenit vocibus ipsis vt significatiuis conceptuum & dicatur Signum. Verbi gratia, cum dico homo est species, non intelligo quod hæc vox, homo, sit species, sed natura humana, quæ per ipsam significata mente concipitur. cum autem dico, homo, est nomen non intelligo de re illa, quæ est homo, sed de vocè, ut significatiua. dixi notanter, ut significatiua: nam ut uox est, ens reale est, (quod nunc nunc dicebam) de genere qualitatis, quod significet autem habet ab intellectu. itaque primum horum generum, scilicet, Vniuersale est relatio rationis simpliciter: Alterum verò, relatio potius relationis (vt sic loqui liceat) appellabitur: fundatur enim supra alteram relationem rationis, scilicet, significationem, ac adeo habent se, sicut substantia, & accidens. & ideo fortè relatio rationis, nec vniuocè, nec genericè de eis dicitur: conuenientius ergo fierent prædicamenta entium rationis quatuor: quorum primum sit Negatio, secundum Relatio ratio*


Vni=
uersale
Prædi=
cari
quo diffe=
runt com
muniter
Accn̄s
Separa
bile.
Calor
Insepa
rabile
quo res
differunt
proprie
Pro=
priū
4º modo
Risibi
le.
alijs tri
bus mo=
dis
Quod est
in plurib'
differenti
bus spē
Genus
Supra
qd̄ nō est
aliud
Genus
Sub
alter
num
Viuens
vltima
Supra
quod ē
aliud.
Spēs
Homo
non
ltima
quod est
in pluribus
differētib'
nu. tm̄
Dr̄ia
Substā
tialis
R̄ōnale
Acciden
talis
quo essen
tialiter
differunt
res
De
pluri-
bus

## De Sufficientia dictorum. Cap. 24.

SVMITVR *autem sufficientia horum generum secundum modos eßendi rationis: aut enim aliquid est rationis siue per rationem purè, & est Negatio: aut per operationem rationis cum fundamento tamen in re: & rursus aut illud fundamentum est propinquum, & sic est Priuatio: aut remotum, & tunc aut in re quæ est vox, & est Signum: aut in rebus alijs & est Vniuersale. & hæc de prædicamentis rationis breuiter ut primi, forsan alij his irritati plura meditabuntur & fusius scribent, sed non prius: atque ideo digni sumus si non bene uenia, si bene id fecimus gratia.*

## De Diuisione. Cap. 25.

ET *quia diffinitio Metaphysica maxime et Logica fiunt per diuisionem: de ipsa etiam paucula erũt à nobis prius dicenda quam ad rem veniamus: ex re que fuerit hic obiter admonere Demonstrationem solam modum esse sciendi, diuisionem autem & diffinitionem eius tantum auxiliatrices, neque enim quæ diffinimus aut diuidimus scimus, cum neutra (vt sæpè repetiuimus) possit demonstrari. Est ergo diuisio, totius in partes sectio seu distributio vt nomen sonat. Quot itaque sunt tota, tot sunt diuisiones species: est enim totum integrale, uniuersale, potentiale, eßentiale, æquiuocum, & per accidens: quod alio nomine appellatur à quibusdam totum in modo. Totum*

*quidem uniuersale est genus respectu suorum inferiorum, diuiditurq; dupliciter: aut per differentias, ut animalium, aliud rationale aliud irrationale: aut in species, vt animalium, alius homo, alius equus, alius canis. sed hæc non tam propriè dicitur diuisio quam prima: seu vt propriè loquamur, prima dicitur diuisio per, & secunda in: nam per differentias diuiditur genus in species. Totum integrale dicitur totum quantitatis respectu partium eiusdem in quas diuiditur, sic: Animalis aliud caput, aliud pedes. totum potẽtiale est subiectum quod plures continet in se potẽtias de secunda specie qualitatis, in quas diuiditur, sic, anima, aliud intellectus, aliud voluntas. totum essentiale est duplex, aliud Physicum quod est ens compositum ex materia & forma in quas diuiditur, cum dico, hominis aliud est anima, aliud corpus: aliud est totum essentiale* Metaphysicum*, quod est quæcunq; species respectu partium suæ diffinitionis, scilicet generis & differentiæ, & hoc alio nomine vocatur totum diffinibile: vt cum dico, homo diuiditur in animal & in rationale. totum æquiuocum est qualibet dictio æquiuoca sub qua comprahendimus & analoga, & huius diuisio est in suas significationes, siue æquiuoci in æquiuocata, siue analogi in analogata. exemplũ primi, vt canis, alius latrabilis, alius marinus: exemplũ secundi, vt, Entium aliud substãtia, aliud accidens. totum deniq; in modo seu per accidens, dicitur cum accidens vniuersale significamus in concreto, & hoc tripliciter diuiditur, scilicet, aut subiectum in accidentia, vt hominum alius sciens, alius ignorans: aut accidens*

*cidens*

*cidens in subiecta, vt progredientium aliud homo, aliud equus: aut accidens in accidentia, vt coloratorū aliud album, aliud nigrum. Vt autem Diuisio sit bona & sufficiens obseruanda sunt aliqua. Primo quod omnia simul membra diuisionis recurrant, seu cōuertantur cum diui[illegible]: dicitur autem diuisum illud totum quod diuiditur [illegible] diuisione. Secundo quod membra diuidentia sint pauca, scilicet, duo, vel saltem tria quoad fieri possit: hæc tamen conditio est maximè necessaria in ea, quæ est totius vniuersalis per differētias, in alijs non ita. Tertio, quod in vno quoq; membrorum diuidentium subintelligatur diuisum: verbi gratia, si dicam animalium aliud bipes, aliud quadrupes, intellige aliud inquam animal bipes: nam aliàs cum etiam sint subsellia bipedia, & mensæ quadrupedes, non recurrerēt membra diuidentia cum diuiso. hæc autem conditio non tenet æquè in diuisionibus totius potentialis, integralis, aut essentialis, vt liquet si experiare. Quarto denique quod membra diuidentia aliquo modo opponantur, sed quia multi hoc dicunt & forte quid dicāt aut non satis explicant aut minus intelligunt, dico quod oppositio, quæ inter membra diuidentia aliquo modo requiritur, est (vt vno verbo dicam) quod nullum membrum includat aliud, aut ab alio includatur, neq; totaliter nec secundum partem: verbi gratia, si diuiderem animal in bipes, et volatile, peccarem, quia primum membrum includit totum secundum. & hæc de Diuisione credo sufficient, ne breuitatis institutæ methodum excedamus: si unum illud prius adnotauerimus, diuisionem*

*aut diffinitionem non dici totam propositionem ex diuiso seu diffinito & membris diuidentibus, seu partibus diffinitionibus conflatam, sed solum membra diuidentia, aut partes diffinitionis simul sumptas, seu prædicata (vt ita dicam) illius propositionis seorsum sumpta. Notato etiam diuisionem per differentias cum hæc desint (desunt autem vt in plurimum) per proprias passiones dari: & cum nomina specierum desunt (quod etiam euenit aliquando) diuisionem in species, in differentias seu in proprias passiones fieri, propter imbecillitatem cognitionis nostræ.*

## De Diffinitione & prima eius conditione. Cap. 26.

HIs ergo præiactis fundamentis, dico quod diffinitio Metaphysica seu Logica (de quibus est sermo) nihil ferè aliud est, quam à genere per differentias diuiso in speciem descensus: qui sic fiet. Primo si res quam finire velim sit ens reale, videndum in quo nam sit decem prædicamentorum: si rationis in quo quatuor. Itaque hoc præhabito toties genera tam generalissima quam subalterna subdiuides per differentias, aut passiones si illæ desint, quousque ad immediatum tandem genus eius rei deuenias: cognosces autem id immediatum & proximum esse, si sub illo superius eo quod diffinire vis nullum sit inuenire. Est enim prima conditio diffini-

*diffinitionis quod detur per proximum genus, & proximam seu vltimam differentiam: est autem differentia proxima seu vltima (nam de genere iam est dictum) per quam proximum genus diuiditur, & quæ conuertibilis est cum diffinito. Ad hæc autem omnia in procinctu habēda vtilis erit labor arbores Prædicamētorum, ad earum quas ibi delineauimus exemplar, per omnia genera subalterna multiplicare: sic enim facillimum erit, quamlibet rem propositam artificiosè diffinire. Habito enim proximo (quacunq; in arbore id fuerit) genere, vt supra docuimus, illi ad latus inuenies differentias, quarum non difficile erit vtra diffinito quadret dijudicare: & illa erit vltima atq; proxima, quæ proximum cunq; diuiserit genus: ex qua & genere supra inuento erit iam constans omnis & integra diffinitio.*

## Exempla prædictorum. Cap. 27.

*HAec vt apertiora fiant exempla aliqua subdemus. v. g. volo diffinire quid sit arbor, inspiciam primo quo in Prædicamento sit, & quia facile est videre ipsam esse per se, & non in alio, intelligo esse in Prædicamento substantiæ: deinde per lineam rectam seriei Prædicamentalis ibi positæ deueniam vsq; ad plantam quæ illi proximè est superior, & quæram differentias per quas illa diuidatur, s. truncum habens, & non habens truncum, & quia hæc, arbori nequit conuenire, habet enim truncum, conueniet nimirum altera: erit ergo diffinitio arboris, Planta trun-*

*cum*

*cum habens, & licet eas quæ per proprios passiones dantur, vbi desunt; seu ignotæ sunt ueræ differẽtiæ, communiter descriptiones appellent, nos tamen diffinitiones eas vocare (nam de descriptione postea) non dubitamus, ne nullum diffinitioni locum relinquamus. quod si velim definire rem cuius arborem non habeam, uolo dicere cuius genus & differentia proxima in suprapositis arboribus non reperiantur: hoc modo faciam. Sit exempli gratia res diffinienda, Logice, videbo primum sit ne per se Logica an secus, vti supra: cum videam autem non esse per se sed in alio, statim liquet accidens illam esse, discurramq; per singula nouem accidentium genera sic: postquam est in alio, num sit intrinsecum illi an secus? & quia intrinsecum, vel quantitas. s. vel qualitas, vel relatio: rursus num dicat respectum, an sit absolutum? & quia absolutum est, erit ergo vel quantitas, vel qualitas: non quantitas, cum ex se non sit extensa, nec diuisibilis, ergo qualitas: tunc qualitatem diuidam in eam quæ perficit & quæ destruit naturam subiecti, quæ consequitur principium actionis & passionis, & quantitatem, cumq; videam logicam perficere naturam subiecti, dicam esse habitum uel dispositionem: non hanc, cum non sit facilè mobilis ab illo, ergo habitum: rursus habitum subdiuidam per habitum intellectus & voluntatis (diuiduntur enim habitus per potentias et actus per obiecta) cumque videam eam esse in intellectu, dicam esse habitum intellectus. Habitus iterum alius est practicus alius speculatiuus, practicus rursum in verum & falsum, verus in artem & scientiam, practica;*

*Scientia*

*ſcientia in Prudentiam.ſ.eam quæ eſt de ente reali, & quæ de ente rationis diuiduntur. Vltimo demum ens rationis quod facit proximum genus, in id quod deſeruit veritati, congruitati, & ornatui ſermonis, cumq; ſcientiam practicam quæ de ente rationis (vt veritati indagandæ deſeruit) diſſerit, cum Logica conuerti animaduertam, illam dicam demum Logicæ eſſe germanam diffinitionem. Credo enim Logicam practicam eſſe, quod probare Metaphyſici eſt negotij: & his exemplis patere ſatis poterit omnis diffiniendi ars & ratio.*

## Reſponſio cuiuſdam obiectionis. Cap. 28.

SED *occurret aliquis, cum non ſolum differentiam ſed & propriam paſſionem rei conuertibilem ſeu quarto modo propriam ignoremus (quod ſæpe accidit) quomodo diffiniemus? Reſpondetur tamen, plura tunc accidentia communia quæ vicem vnius proprij impleant, eſſe quærenda, ita nempe vt quæ ſeorſum vel excedant vel non adæquent diffinitum, ſimul tamen conuertantur cum illo: v. g. quia ignoro, Pyri arboris, propriam paſſionem diffiniam eam ſic, Pyrus eſt arbor acinoſa, folijs acutis, & leuibus, fructu ſubuiridi cum matureſcit & ſerotino, ſaporiſq; humidi & modicum mordentis: quæ omnia licet ſeorſum in alia arbore inueniri queant, ſunt enim acinoſæ & Perſica & Cotonea, folijs acutis Granata, fructu ſubuiridi Prunus aliquis, ſerotino, Morus, ſaporis humidi*

*humidi, ferè omnium arborum fructus, Mordentis, Medica: illa tamen omnia simul in sola Pyro licet inuenire. & hæc diffinitio licet expressius & significantius accidentalis vocari deberet, tamen quia cum diffinitionis nomine accidentale non videtur conuenire, vocetur Descriptio: qualiter nos suo loco Qualitatis prædicamentum diffiniuimus supra: Diffinitioq; (licet impropriè) etiam ea vocetur quæ per propria datur quarto modo.*

## De secunda conditione diffinitionis. Cap. 29.

*EST iam secunda conditio in omni diffinitione obseruanda quod conuertatur cum suo diffinito & econtra: tertia vero quod sit clarior illo: quarta quod diffinitum non intret diffinitionem: quinta demum & vltima quod non committatur circulus in diffinitione. vocatur autem circulus cum duo intrant mutuo diffinitionem alterum alterius. Hæ tamen duæ vltimæ conditiones non comprehendunt relatiua secundum esse, & est ratio, quia cum res vt se habet ad esse ita & ad cognosci, et relatiua huiusmodi non habeant esse nisi ad terminum, ita neq; diffinitionem: Vnde necesse est quod vnum relatiuorum diffiniatur non quidem per reliquum, sed ad reliquum, & subinde vnum subintret diffinitionem alterius. in omnibus autem alijs obseruandæ sunt dictæ conditiones, nam aliàs idem innotesceret per idem quod est impossibile.*

De multiplici difnitione. Cap. 30.

*ET quia in re qualibet creata duo sunt.s. fieri & facta esse, omnesq; scientiæ speculatiuæ agunt de rebus solum vt factæ sunt, siue vt sunt in facto esse, quo pacto duas solum habent causas à quibus dependent, materialem & formalem materialia, separata vero a materia solam formalem: ideo hæ omnes (cum vt dixi ita se res habeant ad esse vt ad cognosci, ac ideo diffinitio quæ esse explicat, per causas dari debeat) per illas duas tantum diffiniunt. v.g. Physica quia de materialibus agit, diffinit hominem esse compositum ex materia & forma. Metaphysicus autem & Mathematicus quia vterq; à materia abstrahit, ille realiter, hic per intellectum, vterq; per solam formalem definit. & quia ex his Metaphysica est potissima & altissima scientiarum, Mathematica verò certissima, diffinitiones earum quæ per formam (primam rerum in facto esse causam) dantur, censentur omnino immediatæ & indemonstrabiles: Mediumq; præstant Demonstrationi potissimæ, cum eo nomine gaudere illa debeat quæ potissimam & certissimam generet scientiam. At Practicæ vt Moralis & Dialectica quia res in fieri considerant, vt eas operari doceant, quo pacto duas alias causas habent extrinsecas.s.efficientem & finalem: per eas etiam diffiniunt. Vnde Moralis per finalem quæ omnium est prima demonstrat: Dialectica, cum vniuersalis in suo genere sit, per omnes, etiam per efficientem & finalem. Atque adeo in his diffinitio etiam formalis seu quidditatiua*

&

& Metaphysica demonstrabilis est, per priores .s. efficientem, & finalem: sola verò ea quæ per finalem datur, simpliciter indemonstrabilis est & immediata: & diffinitiones quæ per efficientem aut finem dantur, dicuntur causales quia per causas extrinsecas rem manifestant. & hoc valde est notandum, nam ideo nos (quod nondum hucusq; plurimi aduertere) maluimus ex scientiarum distinctione diffinitiones distinguere, vt est videre in tabella, Signi, quam vt alij ferè omnes per causas: & hæc de arte diffinitiua atq; adeò de medio Demonstrationis potissimæ. Vnde conuincere facile licebit eos qui totam diffiniendi & diuidendi doctrinam non ad Logicum sed ad Metaphysicum autumāt spectare: ars enim vt patuit diffiniendi & modus, certe logici est muneris, particulatim verò passiones differentiasq; & genera sigillatim inuenire & rebus tribuere, Metaphysici forsan erit: quod quanti fuerit laboris (cum a nullo ferè id sit vel tentatum) huc congerere in methodumq; redigere, æquus Lector facile iudicabit. In Demonstratione, Propter quid, non potissima, illud tantum oportebit aduertere, posse in illa sumi pro medio passionem propriam, seu remotam siue immediatam, aut partem diffinitionis Metaphysicæ, eam quæ differentia aut loco est differentiæ, dum modo semper medium in omni Demonstratione propter quid, sit causa maioris extremitatis, si fuerit Potissima, propria & immediata, si non potissima etiam remota: ita tamen vt omnes alias conditiones in diffinitione potissimæ expressas suo modo habeat.

## De medio demonstrationis & demonstratione Physiognomica. Cap. 31.

*SI polliciti memores esse volumus, restat de medio Demõstrationis, Quod, seu, Quia est, ermonem habere: pro quo illud imprimis (quod superius diximus) est aduertendum, medium. s. in ea semper esse effectum maioris extremitatis, effectum inquam seu causam posteriorem, quæ respectu prioris habetur pro effectu. v. g. si quis causam finalem per efficientem aut vtranq; per formalem vel quamlibet per mateterialem demonstret, vtiq; censetur causam demonstrare per effectum, facit enim econtra quam in Demonstratione Propter quid præcepimus. effectus autem totidem sunt quot causæ a quibus proueniunt, effectus enim finis est motio agẽtis vt in agente recipitur (diximus enim in prædicamentis eundem motum vt ab agente procedit esse actionem vt in passo recipitur passionem, nunc autem dicimus proportionaliter eundemmet influxum vt procedit a mouente esse causam vt recipitur in moto esse effectum) & dicitur ille effectus finis. totum compositum seu materia & forma vt ipsum constituunt sunt effectus efficientis. esse est effectus formæ seu formalis, diximus enim formam esse quæ dat esse rei. effectus demum materiæ est recipere in se formã. dicitur enim largè materia pro nunc, quidquid est aliorum receptaculum, et effectus dicitur causatio (vt ita dicam) passiua. Omnes ergo hi sunt media Demonstrationis, Quod, seu Quia est: nã licet nomen effectus a sola efficiente videatur causa desumi,*

*dicuntur*

*ciei ſpecialiſſimæ vniuerſaliter, nec valeamus inuenire quod nam ſit talis paſſionis ſignum in illa ſpecie: attendendum eſt ad alterius ſpeciei (cui non omni competit) indiuidua, & reſpiciendum quo in ſigno ea conueniant quibus in tali ſpecie paſſio eiuſmodi vſuuenit, cum indiuiduis illius cui vniuerſaliter competit, & illud in vniuerſum eius erit ſignum. exemplo hoc innoteſcet, eſt paſſio in Aſino vniuerſalis ſtoliditas, (loquimur autem de paſſione quæ omni ſed non ſoli conuenit, & hanc vocamus vniuerſalem) neſcio quod ſit eius ſignum: quæro in homine ſtolido qua in re cum Aſino cõueniat, cumq; videam eos in magnitudine capitis aſſimilari: dicam in vniuerſum ſtoliditatis ſignum, magnum caput eſſe: nam per primam ſuppoſitionem ſtoliditas aliquod debet habere ſignum, & per ſecundam in tota ſpecie vna, vnicum vnius proprietatis eſt eiuſmodi. ita etiam Leo eſt fortis, & homo qui fortis eſt habet magnas ſummitates, ſcilicet thoracem humeros &c. & in hoc conuenit cum Leone: erit ergo idipſum fortitudinis ſignum relatum ad Leones. Secunda regula, ſi qua ſpecies duas ſimul huiuſmodi habeat proprietates, ad dignoſcendum vtrum alterius ſit ſignum, inſpicienda ea ſunt quibus non vniuerſaliter altera earum competit vtro ſigno cum tali ſpecie concordent: verbi gratia, Leo & eſt fortis & liberalis in vniuerſum, hominum aliquis fortis qui non liberalis, & econtra: quorum, qui liberalis & non fortis eſt, cum paruis ſummitatibus eſt eleuatæ frontis, non ergo erat, magnas ſummitates habere, liberalitatis ſi-*

*gnum, ſicut & fortitudinis, ſed potius eleuàta frons. Et hæc de his. vt tamen tædio non intermiſſæ meditationis lectorem aliquantulum leuemus, ne ſemper per ſpinoſa & ardua ſudans anhelet: iucunda ſed non admodum inutili digreſſiuncula librum claudemus, ſubiecta, ſcilicet tabella.*



*Caput.*

## CAPVT.

| | | |
|---|---|---|
| *Magnum* | *Hebetes* | *Aſinos* |
| *Minutulum* | *Fatui et ĩcẽſati* | |
| *Mediocre* | *boni ſenſus* | *Regulam* |
| *Pineatum cacuminatumq́;* | *Inuerecundi* | *vngue curuos* |
| *Erecti capillum* | *Timidi* | |
| *Denſi capillum* | *Praui* | |
| *Criſpi capillum* | *Timidi* | *Aethiopes* |
| *Criſpũ in extremo* | *Boni animi* | *Leones* |
| *Plani capillum.* | *Simplices.* | |
| | **FRONS.** | *Refertur Ad* |
| *Valde parua* | *Indociles* | *Sues* |
| *Valde magna* | *Tardi* | *Boues* |
| *Rotunda* | *Hebetes* | *Aſinos* |
| *Minus plana* | *Sagaces* | *Canes* |
| *Longa* | *Adulatores* | *Canes* |
| *Quadrata* | *Magnanimi* | *Leones* |
| *Contracta* | *Adulatores* | *Paſſionem* |
| *Tranquilla* | *Mites* | *Regulam* |
| *Seuera nebuloſaq́;* | *Audaces* | *Tauri et leões* |
| *Demiſſa* | *Triſtes* | *Paſſionem* |
| *Eleuata.* | *Liberales.* | *Leones.* |
| | **AVRES.** | |
| *Paruæ* | *Scurriles* | *Simias* |
| *Magnæ* | *Hebetes* | *Aſinos* |
| *Flauæ* | *Stolidi* | *Aſinos* |
| *Moderatæ.* | *Boni ſenſus.* | *Naturale.* |

SVPERCILIA.

| | | |
|---|---|---|
| *Coniuncta* | *Tristes* | |
| *Diuulsa.* | *Fatui.* | *Sues.* |

LABRA.

| | | |
|---|---|---|
| *Mollia* | *Magnanimi* | *Leones* |
| *Subtilia vel laxa* | | |
| *Subtilia dura* | *Immundi ignobiles* | *Sues* |
| *Grossa superiore propendulo.* | *Fatui.* | *Asinos* |
| *Labiũ superius & gingiuæ prominentes.* | *Contumeliæ amatores.* | *Canes.* |

OCVLI.

| | | |
|---|---|---|
| *Subrubentes* | *Verecundi* | *Refertur Ad* |
| *Humidi lucidi* | *Hilares bene morati* | |
| *Lippientes* | *Temulenti somniculosi* | |
| *Perparui* | *Pusillanimes* | *Simias* |
| *Permagni* | *Tardi* | *Boues* |
| *Mediocres* | *bonæ dispõnis* | *Regulam* |
| *Concaui* | *Malitiosi* | *Simias* |
| *Eminentes* | *Fatui* | *Asinos* |
| *Parum concaui* | Magnanimi | *Leones* |
| Grãdiusculi & *parum concaui.* | *Mansueti* | *Boues* |
| *Nictantes* | *Meticulosi* | |
| *Subrubescentes* | *Iracundi* | *Passionem* |
| *Pernigri* | *Timidi* | |
| *Cæsii* | *Timidi* | |

Nigri

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Nigri flauentes* | *Boni animi* | | |
| *Biliosi* | *Furiosi* | | *Capras* |
| *Ignei* | *Iucundi* | | *Canes* |
| *Discolores* | *Timidi* | | |
| *Cæsii flauentes* | *Boni animi* | | |
| *Lucentes.* | *Libidinosi.* | | *Gallos.* |
| | NASVS. | | |
| *Rotundus obtusus* | *Magnanimi* | | *Leones* |
| *Aquilinus* | *Magnanimi* | | *Aquilas* |
| *Extremitates grossæ* | *Insensibiles* | | *Sues vel Boues* |
| *Acutus* | *Iracundi* | | *Canes* |
| *Simus* | *Libidinosi* | | *Coruos* |
| *A fronte mox curuus* | *Inuerecundi* | *Re fer* | *Ceruos* |
| *Patens apertusq;* | *Iracundi* | *tur* | *Passionem.* |
| | FACIES. | *Ad* | |
| *Pernigra* | *Timidi* | | *Aethiopes* |
| *Peralba* | *Timidi* | | *Mulieres* |
| *Perparua* | *Pusillanimi* | | *Cattos simias* |
| *Fusca* | *Fortes* | | |
| *Paruifica* | *Illiberales* | | *Apparentiã* |
| *Flaua* | *Boni animi* | | *Leones* |
| *Carnosa* | *Segnes & timidi* | | *Boues* |
| *Rufa* | *Astuti* | | *Vulpes* |
| *Macilenta* | *Solliciti* | | *Cerui* |
| *Rubea* | *Ingeniosi* | | |
| *Magna* | *Tardi* | | *Asini Boues* |
| *Flammea* | *Apti iracundi* | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | MENTVM. | | |
| *Acutum* | *Fideles* | | *Canes* |
| | COLLVM. | | |
| *Pilosa ceruice* | *Liberales* | | *Leones* |
| *Grossum* | *Animo fortes* | | *Mares* |
| *Longum subtile* | *Timidi, edaces* | | *Ceruos* |
| *Gracile* | *Debiles* | | *Mulieres* |
| *Grossum carnosum* | *Iracundi* | | *Tauros* |
| *Perbreue* | *Dolosi* | | *Lupos* |
| *Magnũ nõ valde grossum* | *Magnanimi* | | *Leones.* |
| DORSVM ET SPONDILES. | | | |
| *Magna* | *Fortes animo* | *Re* | *Mares* |
| *Pilosa* | *Inuerecundi* | *fer* | *Belluas* |
| *Parua* | *Debiles* | *tur* | *Fœminas.* |
| | MANVS. | | |
| *Copulatis digitis* | *Immundi* | *Ad* | *Sues* |
| *Curtis & crassis* | *Temerarij ĩmanes* | | |
| *Vnguibus latis albis subrufis* | *Viriles* | | |
| *Angustis & oblongis* | *Feri* | | |
| *Obliquis* | *Impudentes rapaces* | | |
| *Exiguis* | *Veteratores* | | |
| | PECTEN. | | |
| *Osseus acutus* | *Fortes* | | *Masculos* |
| *Carnosus pinguis* | *Molles* | | *Fœminas* |
| *Macilẽtus et siccus* | *Male morati* | | *Simias.* |

*Pectus*

### PECTVS ET VENTER.

| | | |
|---|---|---|
| *Pilosa* | *Instabiles* | *Aues* |
| *Glabra* | *Inuerecundi* | *Fœminas* |
| *Pectus amplũ & compactum* | *Fortes* | *Leones* |

### VMBILICVS.

| | | |
|---|---|---|
| *Multum distans à pectore* | *Voraces insensati* | *Magnũ vẽtrẽ paruasẽs'loca* |
| *Aequalis distãtia ab eo ad pectus & ab hoc ad collum* | *Bene dispositi* | *Naturale* |

### CRVRA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *neruosa articulata* | *Fortes* | *Refertur* | *Mares* |
| *Subtilia neruosa* | *Libidinosi* | *Ad* | *Passeres* |
| *Superflua parũ dirupta* | *Inuerecundi* | | *Indecentiam* |
| *Genua plana* | *Cynædi* | | *Apparentiã.* |

### VOX.

| | | |
|---|---|---|
| *Fortis* | *Iniuriosi* | *Asinos* |
| *Grauis in acutã desinens* | *Timidi q̃rulosi* | *Boues* |
| *Acuta rupta et mollis* | *Cynædi* | *fœminas* |
| *Grauis moderata* | *Fortes* | *Canes* |
| *Mollis sine intensione* | *Mansueti* | *Oues* |
| *Acuta & fortis* | *Iracundi* | *Capras* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | COXAE. | | |
| Neruosæ | Fortes | | Mares |
| Carnosæ | Molles | | Fœminas |
| | PEDES. | | |
| Neruosi cõmẽsurati | Fortes | | Mares |
| Stricti parui | Molles | | Fœminas |
| digitis et ũgue curui | Inuerecundi | | ortygesaqueæ |
| | CORPVS. | | |
| Perparuum | Ingeniosi acuti | | |
| Permagnum | Tardi | | |
| Perparuũ siccis carnibus aut coloribus calidis | Nihil pficiẽtes | | |
| Humidis et frigidis | Iidem | Re | Rationem |
| Magnum duris | | fer | |
| carnibus et colo | Perfectiui | tur | |
| ribus calidis | | Ad | |
| Incommensuratum | Astuti | | |
| Commensuratum | Fortes | | Regulam |
| Leues carne | Apti sapere | | |
| Molles fluxi | Obliuiosi | | Rationem. |
| Duri. | Hebetes | | |
| | MOTVS. | | |
| Percitus | Inconstantes | | |
| Segnis | Hebetes | | |
| Tardus | graues magnanimi | | |
| Medius | cordatos cõstãtes | | Regulam |
| | CAVILLAE. | | |
| Neruosæ informes | Fortes | | Mares |
| Carnosæ et formatæ | Molles | | Fœminas. |

De

## De regulis Physiognomicis. Cap. 33.

*Excepimus tibi hanc tabellam bone lector ex omnibus grauissimis Autoribus qui ad hunc vsque diem de ea ferè re scripsere, post signa & passiones seu proprietates quarum sunt signa species quibus eæ vniuersaliter insunt adijcientes: ea quidem diligentia vt pluribus (quod curiosus examinare poterit) correctis, in relatione maximè signorum non pauca nos addiderimus. quo autem ea rectè intellecta vti possis, scito extra duas regulas generales suprapositas, alias quatuor particulares esse, quæ ita se habent. Prima multa signa colliguntur ex apparentia eorum quæ fiunt cum talis passibilis qualitatis passio fit. ipse me exponam, iracundia est passibilis qualitas, quia ergo cum subito irascimur quod est passione affici, oculis rubemus, ideo credimus oculos rubeos signum esse iracundi. Secunda, quando duo extrema sunt signa duarum extremarum passionum, medium illorum est signum boni habitus, (voco autem in toto hoc decursu passiones, simpliciter passibiles qualitates seu quamlibet propriam tertio modo) v.g. corpus perparuum est acuti hominis signum, sicuti prægrande tardi, mediocre erit optimè se habentis erga disciplinam: & hoc in linea subiectorum voco naturale, (tribus enim tota tabella lineis est distincta: altera qua signa, altera qua subiecta eorum, mediaq; inter has qua passiones depinguntur) quod verò in prima regula tactum est, in ea linea voco apparentiam. Tertia regula, Masculina & robusta in vniuersum fœmineis & molli-*

*bus præstant: quarta, aliqua sunt signa quæ nullo horum modorum venamur sed sola ratione, vt in eadem subiectorum linea apposité licet videre: quã si curiosus quispiam enucleatius indagare cupiat, Physiognomica adeat Aristotelis, nos enim hic Physiognomiam non tradimus, sed breuem quãdam insigniorum signorum effigiem & tabellam. Qua qui vti velit in vniuersum aduertere debet ne vni signo credat ieiuné & seorsum inuecto, sed pluribus simul. Atq; adeo qui omnia signa in promptu habere desideret, inuertat tabellam hanc, vt pro titulis non corporis partes sed passiones constituat, pro lineis verò, primò membra, deinde signa, tertio subiecta describat, & succedet conatus. nos enim & vitandæ causa prolixitatis, et quia facillimum id cuiuis erit tentare, ambitioso labore paginas infercire supersedemus.*

## Epilogus. Cap. 34.

D*Iximus ergo iam quid esset Demonstratio, ex quibus, quotuplex, & propter quid nempe propter sciendum: Quid item scientia, quid error, opinio, & fides quo ad logico sufficiant: De præmissis & conclusione Demonstrationis quales esse debeant, quod cuiusq; illarum sit medium, deq; singulis eorum abunde egimus: Artem diffinitiuam cum Diuisiua qualitercunque ferè primi (absit verbo inuidia) in methodum redegimus: quot essent causæ, quot effectus: vltimoq; de Physiognomico Syllogismo qui demonstrationi cognatus non abs re videtur & de eius medio,*

*quantum*

*quantum per nostræ breuitatis licuit institutum non, absonè tradidimus. Quibus omnibus iam tandem finem habet Quartus hic liber in quo quia non ambitione (vt plurimi scribendi) sed vt ea quæ longo labore & meditatione assidua comparaueram amico lectori impertirem, insudaui: quid effecerim credo esse non paruum, quid profecerim aliorum esto iudicium.*

# LIBER QVINTVS DE SYLLOGISMO DIALECTICO, SIVE TOPICO.

## De subiecto totius Libri. Cap. I.

*ALTERA Syllogismi species ea est quam Dialectici nomine omnes hactenus censuere, à quo tota quæ de eo est pars Dialectice peculiari vocabulo nũcupatur. vnde & scientiam hanc in eam & Logicem, idest Demonstratiuam, & Sophisticam, secundum tres syllogismi species partiuntur, Demonstratiuum, Sophisticum, & Dialecticum: de quo totus hic acturus est Liber eodem quo de reliquis ordine præcedentes. Est ergo Syllogismus Dialecticus, qui ex probabilibus generat opinionem, in qua diffinitione materiã simul & formam eius specificam comprehendimus, est enim eius forma generica, illatio necessaria, vt alibi à nobis est dictum: specifica, per illam generare opinionem: et quamuis hic effectus sit eius, per eum tamen exprimimus ipsa suam causam, quæ est propria forma. Ad expositionem ergo diffinitionis, vt accedamus, quia de opinione superius satis, de illatione syllogismi in genere, latè in tertio Libro loquuti sumus: restat solum vt*

*materiam*

*materiam eius, scilicet, probabilia & explicemus & tradamus. Sunt autem probabilia in duplici differentia complexa, scilicet, & incomplexa: illa sunt propositiones, quæ videntur omnibus aut pluribus, aut sapientibus, seu quibus fauent omnes, aut plures, aut sapientes, & hi, aut omnes, aut plures, aut maximè probati. Videri autem talibus ea dicuntur quibus cum formidine de opposito seu ineuidenter & cum aliquo dubio ipsi assentiuntur: & vt in summa dicam de quibus non certiorem habent cognitionem quam opinionem. Vnde patet eo Demonstratorem à Dialectico differre, quod ille solum assumit et probat alterā contradictionis partem, scilicet veram, (nam contradictoriæ nullæ simul veræ) hic verò vtramq;: in aliquibus enim rebus tam probabilis est falsitas quam veritas, imo magis, secundum illud Aristotelis. 8. Topicorum dicentis, pleraq; falsa quibusdam veris sunt probabiliora, & hinc etiam patet error ly, vtramq;, ita interpretantium vt dicant et inferant inde contradictionis vtramque partem probabilem esse: quod nullatenus rationi est consentaneum: nam si probilia sunt quæ videntur pluribus, &c. altera certè pars nequibit pluribus videri, aut vtraq; eidem tandem videbitur quod est impossibile: & patet rationis huius vis deducenti. Dicendum ergo (vt opinor) quod ibi ly, vtramq;, distribuit incompletè, & ly, alteram, eodem particularizat modo: volo dicere quod Demonstrator semper assumit alteram, idest veram, Dialecticus verò vtramq;, idest, & veram et falsam, non omnem verā, nec omnem falsam, sed in omni cōtradictione, vel veram*

*ram uel falsam determinatè: in vna nempe veram, in alia falsam: ita vt distribuat ly, vtrãq; pro generibus singulorum quod supra exposuimus. Probabile incomplexum est terminus qui probabiliter de altero affirmatur vel negatur : & hæc de definitione.*

De problematis & locis. Cap. 2.

IAm de inuentione agendum vtriusq; principij materialis, tam remoti quam propinqui, nempe probabilis: tam complexi quam incomplexi : nam ex fine & forma venamur necessitatem materiæ. Quia ergo diximus Dialecticum assumere & probare vtranq; contradictionis partem, inde fit vt propositio Dialectica quæ est materia propinqua dicatur propositio probabilis: Enunciatio autem, Propositio assertiuè prolata: Problema, Propositio dubitatiuè sub vtraque parte contradictionis proposita: vt, vtrum homo canescat, nec ne? Demonstratiua demum, Propositio necessaria sub altera parte contradictionis determinatè enunciata: vt supra. & quia Dialectica est ars differendi probabiliter, (De his autem differimus quæ in dubitationem veniunt) quot possunt de vna re quæri, dubitari, seu quod idem est formari Problemata, tot erunt & quæ de ea differi probabiliter poterunt. tot autem dubitari de vnaquaque re possunt, quot verè de illa dici. verè autem de ea dici quod est prædicari, possunt quatuor: quæ ideo Prædicabilia & Prædicata appellantur, nempe Genus, Diffinitio, Proprium, & Accidens: quæ quidem sunt materialia principia remota Syllo-

*Syllogismi, sicut propositiones Dialecticæ siue Problemata quæ ex illis cōstantur, sunt materialia principia propinqua. Quid esset horum singulum suis cuiusq; locis exactè docuimus. Differentiam verò hic Prædicatis non connumeramus, quia eundem prædicandi modum habet quē Diffinitio quæ ab Aristotele hoc in loco terminus vocatur. speciem itidem subticemus quia syllogismi de termino communi (de quibus est sermo) non descendunt nisi vsque ad speciem specialissimam quæ species tantum est, de qua reliqua, ipsa de nullo prædicatur, nisi de singularibus, de quibus non est scientia aut syllogismus, nisi expositorius de quo supra. Aduertere hic tantum oportet hæc Prædicata in primo libro tractari sub secunda intentione, idest secundum modos dicendi de pluribus, hic verò sub prima, idest secundum modos inexistendi seu competendi pluribus. Omne ergo Problema (quod æquipollet quæstioni complexæ) Quærit quale ne sit hoc? vel potius an hoc sit hoc? & quomodo sit hoc? scilicet, an hoc sit genus huius, vel diffinitio &c. non semper sub his terminis, sed ita vt quoties quærit, an hoc sit illud? ly, illud, nequeat esse huius, nisi, aut genus, aut diffinitio, aut proprium, aut accidēs. Et ad inuentionem horum duorum principiorum materialium tam remoti quam propinqui, reperta est ab antiquis Ars Topica latinè de locis. est autem locus argumenti sedes seu promptuarium. Argumentum dicitur antecedens aliquod siue vna siue pluribus constet propositionibus ex quo aliquid potest inferri. dicitur etiam argumentum terminus ille ex cuius connexione cum reliquis consequens*

*quens infertur, qui in arte syllogistica medium vocatur. Secundumq; hanc duplicem argumenti acceptionem duplex est locus, alter pro primo argumento eruendo, alter pro secūdo, siue alter complexus, alter incomplexus, ille Maxima, hic Differentia maximæ vocatur. Nam quia rei dubiæ (certa enim nemo interrogat) fides ab ipsa peti non potest, (tam dubium enim tunc esset id per quod innotesceret seu firmaretur quam ipsa) aliunde nec vndequaque sed ex rei cohærentibus, quæ notiora & minus dubia sunt, lucem illi inducimus qualēcunq; . Est ergo, Maxima, propositio vniuersalis & fœcunda, ex seq; certa uel probabilis, quales hæ, omnis diffinitio conuertitur cum diffinito, et bonum quo diuturnius eo præstantius. Differentia autem maximæ, est caput generale rerum quo maximæ ad inuicem differunt. Et quia hæ sunt & fœcundiores & pauciores doctos sequuti, ab illis numerum venabimur locorum.*

## De diuisione locorum in genere. Cap. 3.

*Locus ergo Differentia maximæ est triplex, internus, externus, & medius. locus internus est qui continet argumenta quæ inhærent rei quæ per terminum illatum significatur. Pro cuius explicatione est notandum quod cum omnis syllogismus tribus constet terminis, inferente, illato, & communi, inferens hic vocatur qui alibi medium, illatus subiectum consequentis qui & in Problemate seu quæstione est semper*

per

*per subiectum. Est enim quæstio altera Problematis pars seu Problema sub vna tantum parte contradictionis, vt vtrum Philosophus sit inuidus? communis terminus vocatur prædicatum consequentis, seu quæstionis: verbi gratia, in exemplo illo, Philosophus est terminus illatus, inuidus communis, quem assumpsero pro medio ad illam syllogizandam, inferens. vt si sic colligam, Omnis Philosophus est sapiens, nullus sapiens est inuidus, ergo Philosophus non est inuidus. ly, sapiens, est terminus inferens. Locus externus est qui continet argumenta quæ ad substantiam rei nullo modo pertinent, sed extranea sunt, habent tamen aliquid cognationis cum ea ad eius firmationem vel infirmationem. Locus medius est qui neq; in substantia est, neque omnino extra illam. Hi omnes rursum subdiuiduntur vt in subiecta tabella licet videre. Qui autem fusius hoc velit legere, adeat præter Aristotelem, Ciceronem Themistium, Boetium, & reliquos priscos Autores, Rodolphum Agricolam hominem in ea arte experientissimum & non minus eloquentem quam eruditum nisi & carpendi studio & affectatæ curiositatis spiritu duceretur.*

## TABELLA TOPICA

- *LOCVS.*
  - *Differentia maxima.*
    - *Externus*
      - *A repugnātibus seu differētibus*
      - *Ab oppositis*
        - *Relatiuè*
        - *Contrariè*
        - *Priuatiuè*
        - *Cōtradictoriè*
    - *Medius*
      - *A trasumptione*
      - *A notatione*
      - *A diuisione*
      - *A casibus*
      - *A coniugatis*
    - *Internus*
      - *A cōcomitātibus substātiā*
        - *A causa & effectu*
        - *Ab adiacentibus*
        - *Ab vsibus*
        - *A corruptione*
        - *A generatione*
        - *A toto*
      - *A substātia*
        - *A differētia*
        - *A genere*
        - *A descriptione*
        - *A definitione*
        - *A proprio.*
  - *Maxima.*

*De locis*

## De locis internis in substantia. Cap. 4.

HABITA, *sic in genere locorum enumeratione, non abs re erit de vsu singulorũ pauca quædam differere. Primus ergo internorum locus is erat, qui à Diffinitione cognominatur, cum autem de ea in superioribus abũde à nobis dictum sit, restat maximas huius differentiæ assignare, quæ quidem sunt duæ: Prima, quidquid con uenit diffinitioni conuenit & diffinito, & econtra: vt eundem faciamus locum à diffinitione, & à diffinito. altera, quidquid negatur de diffinitione verè, negatur & verè de diffinito, & econtra: est enim locus à diffinitione, habitudo diffinitionis ad diffinitum, & econtra. qui diffiniendi modus in reliquis omnibus locis si obseruetur, nõ opus nobis erit in singulis diffiniendis moram trahere. Aduertẽdum etiam hic statim in principio, neq; per oẽs locos omnẽ posse duci materiã, neq; si possit, per oẽs duci debere: sed graui iudicio prius præmeditandum, quid rei propositæ fidem magis astruere possit, quid minus. illud etiam operepretium est prælibare, in vnoquoq; problemate composito cum tres sunt termini, subiectum, nimirum, copula, & prædicatum, ab vnoquoque vel ab omnibus simul, si res ita postulet, argumenta duci posse: sicut & quæstiones diduci: verbi gratia, sit quæstio, num bellum in Turcas sit iustum? & faciamus periculum in loco prædeclarato à diffinitione & maximis eius, sic: à subiecto, exercitum in Turcas*

*ductare est iustum, ergo bellum in Turcas est iustum: Supponimus enim illam esse belli diffinitionem. Rursus ex parte prædicati, bellum in Turcas est legibus diuinis & humanis permissum, ergo iustum. Ex parte syncategorematis etiam et cuiuscunque termini idem licet, vt, bellum in sectatores Machometi Otthomanos est iustum, ergo & in Turcas. nascitur autem hæc copia ex diductione vnius quæstionis in plures, illa enim prima quæstio (si bene aduertas) parit has omnes, num bellum sit? num sit iustum? & num contra Turcas sit iustum? & hac norma facillimè poteris si exercitationem addideris, quodcũq; membratim discerpere problema, nempe vt in exemplo supraposito factum est: quo facultatem simul & copiam parabis argumentorum.*

## De iisdem internis in substantia. Cap. 5.

SECVNDVS *à descriptione erat, qui quoniã easdem omnino cum præcedẽte maximas habet, prætereundus à nobis sub silentio est. Tertius, erat à genere, qui duas item habet maximas: prima cui conuenit aliqua species, conuenit genus, & econtra: secunda, cui non conuenit genus, nulla cõuenit species eius, & econtra. Fundantur ambæ in quadam regula, quæ est, affirmatiuè à specie ad genus particulariter, vel à genere ad speciem vniuersaliter, tenet consequentia: verbi gratiã, quæritur num iustitia sit bona? tunc sic: omnis virtus est bona, ergo & iustitia; ecce vniuersaliter.*

*ſaliter. Particulariter verò non valeret, ſi quæreretur num homo eſſet quandiu poſſit, aliquod animal eſt quadrupes, ergo & homo: nam ex præcedentibus ſcimus quod ab vniuerſali ad ſuum inferius particulariter conſequentia non valet, ab inferiori verò ad ſuum ſuperius valet, ſic: Iuſtitia eſt bona ergo aliqua virtus eſt bona: item negatiua per ſecundam maximam, nulla virtus eſt mala, ergo iuſtitia non eſt mala: econtra verò particulariter concluditur, iuſtitia eſt eſt neceſſaria ergo aliqua virtus eſt neceſſaria. Quartus locus eſt à proprio: Quintus à differentia: qui ambo eaſdem leges, eaſdem Maximas habent quas locus à diffinitione: fundantur enim Maximæ omnium prædictorum in hoc eodem principio, ſcilicet, diffinitio, deſcriptio, differentia, et proprium, conuerſim prædicantur de ijs quorum ſunt diffinitio, deſcriptio, differētia ſeu proprium. quo quilibet facile poterit in ſupra-poſitorum exemplorum altero aut vtroq; per omnes hos locos ſe exercere qui interni ſunt, & ab ipſa rei ſubſtantia deſumpti: & de his locis ſatis.*

## De concomitantibus ſubſtantiam. Cap. 6.

EORVM *qui interni ſunt, non tamen in ipſa rei ſubſtantia, concomitantur tamen ipſam: primus erat à toto ad partes, & à partibus ad totum: etenim pro vno eodemque ſemper habeo iter quod eſt ab Athenis ad Thebas, & à Thebis ad Athenas. De totius multiplicitate, lege in quarto libro, caput 25. vbi latè id ſumus proſequuti, ideo hic breuiter*

*per ea discurremus. Sunt ergo tam tota quam partes in sexcuplici differentia: est enim primo totum integrale, id quod resultat ex partibus quantitatē habentibus,& eius partes, quæ certo ordine ad inuicē coniunctæ, et vario situ, totius magnitudinem constituūt: vt corpus humanum cum collo pedibus,&c. & denique omne totum quantitatem habens. cuius duæ sunt partium differentiæ, aliæ sine quibus totum omnino nequit consistere, & vocamus illas principales: vt in homine caput, cor, in domo fundamenta, tecta: aliæ minus principales sine quibus potest totum consistere, non tamen integrè & perfectè: vt in homine manus, digiti: in domo laquearia, areæ. Maxima huius totius, posito toto ponuntur omnes & singulæ partes principales eius, sic, domus est, ergo tectum habet: unde ualet argumentum à toto ad singulas & omnes partes affirmatiuè, negatiue vero ualet à toto ad omnes partes simul, non ad singulas, nisi disiunctiuè totas enumeremus. secunda maxima, si totum non est, aliquam eius partem non esse necesse est. tertia, positis omnibus partibus ponitur, & totum. quarta, negata aliqua parte negatur & totum. loquor semper de partibus principalibus. est aliud totum potentiale, id scilicet quod potētiarum est subiectum, quod respectu ipsarum totum dicitur. potentiæ verò partes eius, velut animæ intellectus, & uoluntas. Maxima, posito toto ponuntur omnes & singulæ eius partes, alia, posita qualibet partium ponitur totum. modus argumētandi ferè idem cum superiori. Est præterea totum uniuersale, sed hoc nos inter ea, quæ in ipsa substantia*

*sunt*

*ſunt loca enumerauimus, coincidit enim cum toto quod eſt genus. Totum etiam metaphyſicum idem eſt cum diffinitione de quo etiam dictum iam eſt. Totum vero in quantitate, terminus eſt communis cum ſigno vniuerſali diſtributus, pars eius idemmet terminus ſigno particulari, aut ſingulari, aut nullo determinatus. Maxima, poſito toto ponuntur omnes & ſingulæ eius partes. Vnde a toto in quantitate ad omnes & ſingulas eius partes valet argumentum: ſecunda Maxima, negato toto negantur omnes & ſingulæ eius partes: Vnde a negatione totius ad negationem earum licet arguere: tertia Maxima, poſitis omnibus partibus ponitur totum: quarta, negatis omnibus negatur & totum. Totum etiam in modo eſt cum aliquis terminus profertur nulla particula reſtrictus aut determinatus, reſpectu eiuſdem reſtricti: vt homo, & rudis homo, eſt autem particula determinans ea de qua cum ſuo determinabili prædicatur vniuerſaliter totum in modo, vt, Omnis homo rudis, eſt homo: vnde excluditur a nomine partis in modo, omne dictum ſecundum quid. Totum & in loco, & in tempore, ſunt termini ſignificantes locum, aut tempus vniuerſaliter: vt ſemper, vbique, reſpectu eorum qui eadem ſignificant particulariter, vt, Romæ, hoc anno. Sed in ijs omnibus eædem ſunt prorſus maximæ, ijdem argumentandi modi qui in loco a genere ſeu toto vniuerſali a nobis ſunt præfiniti. exempla ſunt facillima: & hæc de loco a toto & partibus.*

## De iisdem. Cap. 7.

*Locus secundus a concomitantibus substantiam, sumptus erat à causis, quæ cum sint quatuor, quadruplicem eum efficiunt. Causarum ergo alia efficiẽs, alia formalis, alia materialis, alia finalis: de quibus quamuis ex professo agere ad Physicum pertineat; breuiter tamen quantum Dialectico sit satis, ad præsens nonnihil dicemus. causa ea dicitur ad cuius esse aliud sequitur: Efficiens autem illa est à qua primo est motus vt aliquid fiat, qualis faber domus, ignis caloris. & inter efficientes, aliæ sunt quæ necessario agunt vt, sol lucem: aliæ liberæ, vt homo hominem generans: de primo genere talis datur Maxima, posita causa efficiente ponitur eius effectus, ablata aufertur, & econtra: vt quia solis lux efficit diem, arguere sic licet, sol lucet, ergo dies est, sol non lucet ergo non est dies: item econtra, dies est, ergo sol lucet. De secundo genere efficientium talis, posito effectu poni causam necesse est, non econtra: vt Petrus est, ergo Ioannes eius pater est vel fuit. Formalis causa est illa quæ rei dat esse id quod est, vt anima rationalis homini, figura artificialibus. Materialis in qua & ex qua recipitur & educitur forma, vt, statuæ lignum, hominis corpus: harum duarum causarum eædem sunt prorsus Maximæ quæ efficientis primi generis, aut omnino actu operantis. Finalis est propter quam & a qua efficiens mouetur ad operandum, vt domus, tutela a cœli iniuria: eædem etiam sunt huius Maximæ quæ superiorum, nisi quod formalis hanc*

*lis hanc habet peculiarem, vnumquodque subiectum a forma denominatur: vt, ab albedine albus, a ratione rationalis: & hæc maxima fundat locum quem ab inesse ad denominari alij appellant, nosq; ad latus causæ formalis in tabella locorum affiximus. Est & communis quædam maxima omnibus causis, qualis est causa, talis est & effectus, & econtra: verbi gratia, quæritur, num Mundus sit bonus? Et respondetur sic, Deus qui eum fecit est bonus, ergo & Mundus. & hæc pro rudioribus sufficiant de loco a causis.*

## De aliis internis. Cap. 8.

S*VNT & tres alij loci his affines, à generatione, à corruptione, ab vsibus, dico autem affines, generãs enim & corrumpens efficientia sunt, vsus autem multarum finis est rerum. Maximæ primi, cuius generatio bona & ipsum bonum, cuius mala malum: sub generatione comprehenditur acquisitio, & sub corruptione amissio: secundi, cuius corruptio bona ipsum bonum, cuius mala malum: aduertendum tamen quòd semper loquor in his locis de corruptione & generatione, imo in omnibus, de bono & malo per se, in ijs enim quæ ex accidenti bona vel mala sunt, non tenent maximæ. proportionaliter easdem habet, Vsus maximas, vt, Sophistice mala est, quia vsus est eius subuertere veritatem, qui malus est. Videndum tamen ne abusus pro vsu sumatur, ac si quis probet pecuniam*

*esse*

*esse malam quia malè vtuntur ea homines, argumentum peccat, nam scortari, verbi gratia, & crapulari abusus pecuniæ sunt, cuius vsus genuinus, rerum est commutatio, qui bonus ex se est.*

## De connexis. Cap. 9.

*SVbsequitur locus quem Rodolphus* Ab *accidentibus, Cicero Connexa, alij aliter vocauere: nos verò cõuenientius* Ab *adiacentibus eum nominemus, est .n. locus ab ijs quæ rei intrinsecus adhærent siue adiacẽt sumptus, qui multiplex est: nã inter adiacẽtia quædam sunt quæ ferè semper adiacent rei, quædam quæ indifferenter modo insunt ipsi, modo non: & primi generis sunt ea quæ dicuntur ab omnibus communiter accidentia, quorum altero posito alterum poni ferè semper accidit: ita mulierem grauidam colligimus parituram, et turgentes habere mammillas: item dies est pluuius, ergo pauci in agrum egredientur: pax est ergo erit omnium rerum copia: bellum ergo inopia. hic etiam locus complectitur omnia argumenta quæ à signis metæoris, quæq; a physiognomia summuntur. Maxima, posito vno (vt dictum est) communiter accidentium, ponitur & alterum vt in plurimum.* A*dia centia secundi generis, contingentia dicuntur quia indifferenter adiacent rei, quæ sine illis æquè ac cum ipsis conseruari potest, qualia sunt quæ, εἰκότα, Græci, nos verisimilia possumus dicere: vt puluis grandis est, exercitus ergo aliquis aduentat: & coniecturæ, vt, quia Milo ensem nudum gestans conspectus est ante*

*cadauer*

*cadauer Clodij, occidisse illũ conijcitur. Quin et ostẽta, & prodigia hoc loco continentur. Maxima, Ad vnum contigentium sequi solet alterum. Nec quisquam miretur hæc duo loca modicam fidem nedum necessariam vix facere aliquando: sed meminerit Dialectici hæc esse loca non Demonstratoris, quin & Oratoris, qui etiam si suspitionem tantum vel leuem ingerat munus suum abunde expleuit. Sunt & inter adiacentia ea, quæ testimonia Cicero, auctoritatem nonnuli, ἀτέχνους probationes Aristoteles, nos cum Rodolphol pronuntiata malumus appellare: sunt autem quæ quis de aliqua re vt affirmaret vel negaret est elocutus. Maxima, experto cuiq; & communiter approbato in sua arte credendum est: alia, Quod omnibus, vel pluribus, vel maxime sapiẽtibus videtur, ita se habere, probabile est: huc pertinent & prouerbia, & Apophthegmata, tum syngraphæ, testes, legalesque allegationes huc reduci possunt: est autem locus hic peculiaris Grammaticis & Theologis, nostro etiam tempore Iurisperitis. Aduertendum tamen ne ab hoc loco negatiuè sumatur argumentum, neutiquam enim valet, hoc non dixit vel non sensit Philosophus, ergo non est ita: videndum etiam ne fallamur negationes pro affirmationibus capientes, aut econtra, nam si quis ita colligat, Cicero non dixit hoc est hoc, ergo non est hoc, negatiua est collectio, & proinde inutilis: Si tamen colligat sic, Aristoteles dixit hoc non esse hoc, ergo hoc non est hoc, bona est consequentia: Sed de his in secundo libro plusquam satis.*

## De reliquis internis. Cap. 10.

*SVmuntur quoque argumenta a rerum cōparationibus, hæ autem fiunt aliquando maioris ad minus, aliquando econtra, vel etiam similis ad simile: atque hinc oriuntur tres reliqui adiacentium loci, scilicet, a maiori, a minori, a simili. Maxima secundi, Si id quod magis videtur non est verum neque id quod minus videtur verum erit, verbi gratia, Cicero hanc causam non posset defendere, quid ego illam agere coner? Maxima primi, Si id quod minus videtur est verum id quoque magis videtur verum erit vt illud Poetæ.*

*Pallas ne exurere classem*
*Argiuum, atq; ipsos potuit submergere ponto?*
*Ast ego quæ diuum incedo regina, Iouisque,*
*Et soror & coniux, &c.*

*Maxima tertij, Simile est regula sui similis, si aliquid verum est de aliquo dicere, de suo etiam simili verè affirmabitur, seu quod idem pollet, similium eadem est ratio, verbi gratia, qui sumpturus est potionē, syrupis indiget præoccupare & disponere stomachum, ergo qui confiteri debet peccata sua, disponi prius debet: item illud,*

*Ac veluti magno in populo cum forte coorta est*
*Seditio, seuitq; animis ignobile vulgus.*
*Iamq; faces & saxa volant, atque arma ministrant.*
*Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem,*
*Conspexere silent, arrectisq; auribus astant.*
*Sic cunctus pelagi cecidit fragor, &c.*

*Vocamus autem a simili eum nos qui à proportione*

*apud*

*apud alios censetur. Quin & locum ab exemplo sub comparatione cōpræhendimus, cum nihil aliud exemplum sit quam comparationis species in singulari facta, velut,*

*Faterno primi maduerunt sanguine muri. &c.*

*Atque de adiacentibus tot tantaque dicta sint, internisq; proinde locis omnibus.*

## De externis locis. Cap. 11.

*EXternorum sit primus, is qui ab oppositis appellatur ferè ab omnibus, quique in alios quatuor subdiuiditur, secundum quatuor oppositionis modos quos in secundo libro cap. 18. distinximus prolixè: quare fastidium potius erit lectori illos repetere quam labori illuc remitti. Est autem cūctis oppositis tam scilicet contradictorijs, quā priuatiuis, et cōtrarijs, (nō tamen relatiuus quibus potius contraria maxima conuenit .s. posito vno ponitur alterum et econtra) communis maxima, vno oppositorum posito aufertur alterum, & econtra. meminerit tamen studiosus lector tam in hac quam in omnibus alijs maximis omnes regulas bene arguendi, toto horum librorum decursu a nobis positas, esse apprimè seruandas. in hac verò præcipuè vt opposita sint talia ad idem, secundum idem, & in eodem tempore. Exempla tritissima sunt, & ideo ad locum a repugnantibus transeamus qui huic coniunctissimus & est & videtur. Dicuntur autem repugnantia seu disparata, quæ cum nullo quatuor modorum opponantur, repugnat tamen vtraque simul esse, aut dici de eodem: velut homo & equus. atque*

ita

*ita huius etiam loci eadem prorsus est maxima quæ superiorum, verbi gratia, hic est homo, non ergo equus, Petus est ruri non ergo in foro.*

## De locis mediis. Cap. 12.

INTER *loca quæ media fecimus, primam obtinet. sedem qui est à Coniugatis, cui ita is qui à Casibus annexus est vt pro vno eodemq; haberi possint. Dicuntur autem coniugata, termini abstracti et concreti seu denominatiui significationis eiusdem: loquorque de significatione principali, vt in primo libro expositum est: vt iustitia, iustus. casus autem, verbalia, verba, & aduerbia, ab ijsdem deriuata, vt iustè, iustificās iustificare, item, Amor, amatus, amicus, amare, amanter. Quorum omniũ eadem uniuersalis est Maxima, coniugatorum & casuum in principali significato eadem est natura: exempla sunt facillima. Est alius locus, à Diuisione de qua (quia multa in superiore libro) illuc auidum mittimus lectorem: Maxima huius loci, cui conuenit diuisum, aliquod diuisionis membrũ conuenire debet, cui non, nullum: item cui aliquod membrum diuisionis conuenit, diuisum conuenit. Vltimus demũ inter hæc loca ille est, qui à Notatione à Cicerone appellatur, ab alijs à rei nomine, melius ab ætymologia dicturis si latinè possent: est enim nominis minus noti per magis nota nomina explicatio, siuè in eadem sit lingua, siue in alia. Maxima huius loci, cuicumq; conuenit nomen, eidem & nominis interpretatio, & econtra: & fermè in æquiuocis latet locus hic.*

*pleni*

*pleni sunt huiusmodi exemplis poetarum & Oratorum libri, & hæc de locis.*

## De sufficientia locorum. Cap. 13.

NE vero quisquam miretur post tot tantosq; viros, qui hac de re tam luculenter sunt commentati, nos demum scribere aggressos, neque in locorum numero, neque in nominibus aut sedibus singulorum, cum vllo ferè priorum conuenire: statuimus in calce libri rationem omnẽ nostri huius instituti paucis ostendere. Neq; enim sum nescius aliter Rodolphũ, aliter Ciceronem, Themisthium, Aristotelem, Boetium, locorum numerum distinxisse, nomina et sedes assignasse, vt quandoq; quos nos internos, externos alij fecerint, aut medios, hosque nonnulli omnino abstulerint: sed nos omnibus lectis ac præmeditatis, hanc nobis amplectendam formam proposuimus, quam tamen nõ ita mordicus tenendam censemus, quasi nefas sit ab illa discedere: non recuset tamen benignus auditor, nisi prius eius rationem & nouerit & perpenderit attentius. Causæ enim (vt iam tandem incipiam) quas Rodolphus in externos reijcit, profectò adeo sunt, internis connumerandæ, vt qui totum & partes illis adiunxerit, has verò materialem saltem, et formalem, quin et finalem (quæ in naturalibus cum formali coincidit) separauerit, ignarus penitioris philosophiæ omnino videatur: Notationem autem non video cur Cicero & ex neotericis Titelmannus internis miscuerint. Quid enim nomen cum persona à qua & mutari &

de-

*deleri, & aliud ei rursus imponi videmus? adeo vt vix inter medios sedem illi ipse inueniam. Coniugata quoq; & Cicero & Rodolphus iisdem annumerarũt non maiori ratione quam notationem, quæ cum adeo extrinsecus adhæreant, vt ferè toto soleant aliquando distare cælo, satis fuit inter medios apposuisse. Iam de numero illud in vniuersum Peripateticæ scholæ studiosus meminerit oportet, Peripateticã tritissimamq; esse regulam, frustra fieri per plura quæ possunt fieri per pauciora: sub compendio maximè disciplinas & methodo tradere affectantibus. Quare & locos a proportione & a transmutata proportione nec primi nec sine ratione sub comparatione comprehendimus, & trãsumptionem (quæ est a difficiliori quæstione ad faciliorem aliam orationis translatio) quia Dialectico (cuius partes agimus) parum esse vtilis visa est, suppressimus. nec est animus omnia quibus ab aliis dissentimus sigillatim persequi, pauca enim sat fuerit recensuisse, vt ex vnguibus (quod aiunt) leonem quilibet facile expiscari & dignoscere valeat. De nominibus non est qd nimis solliciti simus modo in rebus nobis cũ probatissimis conueniat. Neq; tamen abs re nostri semper instituti memores, aliqua vt asperiora reliquimus, alia vt nimis vnguẽtãta reiecimus, nõnulla vt ad rem significatã accõmodatiora selegimus. Hac igitur coronide tractatui nostro de locis Colophonem imponemus, si prius vt loco Differentiæ maximæ pinacium ascripsimus, loco etiã Maximæ suam pagellam tribuamus: qua præmissa, ad vltimam instituti nostri partem tandem Deo auspice deueniamus.*

*Locus*

| | Dría maximæ. | Maxima. |
|---|---|---|
| In | A Definitiõe | Cui cõpetit definitio cõpetit ẽt definitũ. |
| | A Definito | Cui cõpetit definitũ cõpetit ẽt definitio. |
| | A descriptiõe | Eædem prorsus. |
| ter | A genere | Cui cõuenit genus species etiã cõuenit, & cui nõ genus neq; species & ecõtra. |
| | A Proprio | Hæc duo cõuertũtur cum suis subiectis. |
| ni | A Dría. | |
| In | A toto integrali | Posito toto, omnes partes principales ponuntur, & negato aliqua negatur: & ablata aliqua earũ aufertur totũ, positis ponitur. |
| | A toto potentiali | Positis omnibus partibus ponitur totũ. & posito toto omnes partes ponuntur. |
| | A toto ĩ modo | Cui cõpetit totũ cõpetit pars & ecõtra. |
| | A toto ĩ loco | Eædem. |
| | A toto in tpe | Eædem. |
| | A causa efficiente | Quorum efficientia sunt naturalia effectus sunt naturales & econtra. |
| ter | A materiali | Cuius materia deest ipsum etiam deest. |
| | A formali | N̄alis forma est principiũ omnis actiõis. |
| | Ab inẽẽ ad denominari | Quodlibet subiectum a forma inexistente denominari debet. |
| | A finali | Qualis finis talia destinata. |
| | A generatiõe | Cuius acquisitio bona bonũ & econtra. |
| | A corruptiõe | Cuius amissio mala bonum & econtra. |
| | A cõmuniter accidẽtibus | Posito vno ponitur & alterum cõmuniter accidentium vt in plurimum. |
| | A pronuntiatis | Cuiq; in sua arte experto credendũ est: et quæ sapiẽtes dñt vera ẽẽ ꝓbabile est. |
| ns | | |

Q A toto

| | Drĩa maximæ. | Maxima. |
|---|---|---|
| In | A toto in quãtitate | Vide à genere. |
| | Ab vſibus | Eædem cũ maximis loci à generatione. |
| | A cõtĩgẽtibus antecedẽtibus et cõſequẽtib⁹ | Vnum contingentium, antecedentium, & conſequentium ſequi vel antecedere ſolet alterum. |
| ter | A maiori | Si id quod minus videtur eſt verum id quoq; quod magis videtur erit verum. |
| | A minori | Si id quod magis videtur non eſt verum neq; id quod minus videtur erit verũ. |
| ni | A ſimili | Simile eſt regula ſui ſimilis. |
| Ex | Ab oppoſitis | Poſito vno oppoſitorũ ponitur alterum. |
| ter. | A diſparatis | Eadem. |
| Me | A coniugatis / A caſibus | Cõiugatorũ & caſuũ ĩ ſignificato principali ſeu ĩ eo quo cõiugata sũt eadẽ eſt nã et rõ: et qđ vni ſic cõuenit, cõuenit alijs. |
| | A diuiſione | Cui cõuenit diuiſum dẽt cõuenire aliqđ diuiſiõis mẽbrũ, & cui cõuenit aliqđ mẽbrũ etiam diuiſum cõuenit, & cui vnũ mẽbrũ non aliud. |
| dij | A notatiõe | Nomen & nominis interpretatio pro conuertibilibus habentur. |

APPENDIX.

Nolim putes amicè lector omnes hic à nobis locorum horum maximas comprehenſas ſed has paucas ob oculos poſitas vt tu tibi eodem methodo inde plurimas alias eruere aſſidua exercitatione poſſis & in tam lato & ferè intacto campo viam monſtraſſe vel à longe ſit ſatis.

Liber

# LIBER SEXTVS DE SYLLOGISMO SOPHISTICO.

## De finibus Sophistæ. Cap. I.

PORTVM *iam iam appellentibus nobis scopulosi sese offerūt anfractus, qui tenere illum non sinunt: nam sicuti syllogismi formā depingentibus euenit. in coronide quippe doctrinæ illius, defectus qui circa formam collectiuam fiunt enumerauimus, ita & hic postquam de materia syllogismi per duos prolixos libros adhuc sermonem habuimus, de defectibus & vitijs eius circa materiam, si breui dixerimus, habebit finem suum importunus labor hic noster. Est igitur primo sciendum (ne nominum ignorantia faciat nos hallucinari) syllogismum eum, qui in forma peccet, paralogismum peculiari vocabulo dici. Qui vero in materia claudiauerit iuxta eius distinctionem subsecatur: qui enim in materia peccant necessaria, falsigraphi syllogismi dicuntur, quasi demonstrationes defectuosæ: qui vero in contingenti siue Topica sophistici. cum ergo peccata in materia necessaria occurrentia dum de demonstratione ageremus, satis patefecerimus: restat iam vltimo vt de Sophistica materia Laconismo dicamus. Igitur ad rem, altius licet*

*repetito principio, veniamus: Sophi nomen apud Græcos nemo est, qui nesciat sapientem designare, & ita antiquitus septem illi Græciæ famigerati uiri uocitati sunt, sed postq̃ modestius philosophi vocabulum a Pythagora inuentum odiosius illud et arrogantius eliminauit Sophi & Sophistæ. vni illi appellari sunt cœpti quibus magis videri quam esse literatos curæ fuit: nempe qui ambitiosis verborum tendiculis et captioso eloquentiæ fastu in id vnum essent intenti, vt quodcunque vellent siue verũ id esset siue falsum aduersarium fateri vel inuitum cogerent: cuiusmodi fuisse memorãtur Gorgias, Hippias, Protagoras, Prodicus. Conabantur autem id efficere aut redarguendo illum cum quo sibi res esset: aut si id minus consequi possent disserendo, ad falsum aut saltem inopinabile concedendum adducendo: quod si neq; id succederet ad minus ad solœcismũ vel nugationem pedetentim trahendo. Vnde & hi quinque solent sophistarum fines, seu metæ enumerari.*

Diffinitiones illorum finium. Cap. 2.

EST *autem (vt à primo incipiamus) Redargutio siue Elẽchus (quod idem pollet) syllogismus cum contradictione vnius & eiusdem non nominis, sed rei, non synonimi sed eiusdem ex his quæ data sunt ex necessitate, & sine petitione principij, secũdum idem, ad idem, similiter & in eodem tempore. In summa vt me pressius explicem: Meta Elenchi seu redargutionis est, cogere aduersarium ex vi disputationis, & in ea concessorum, contradictoria duo concedere:*

*&*

*& id innuit tota illa diffinitio : omnes enim illæ particulæ vltra ly, absque petitione principij, qua cauetur ne syllogismus in forma peccet, vt libro tertio est explicatum, nihil aliud exprimūt quam contradictoriarum conditiones. Hic ergo præcipuus est sophistæ finis ad sumet contradictionem (vt semel dicam) aduersarium ducere. Quod si ab hoc excidat, tētat illum vt manifestè falsum aliquod aut saltem inopinabile concedat cogere: inopinabile inquam ijs qui intersunt & audiunt differentes: nam alias maius esset ducere ad inopinabile simpliciter quā ad falsum cum multa sint falsa opinabilia. Hoc item si nequeat, studet vt solœcissare eum faciat. Quid autem sit solœcismus Grammatici dicent, capiatur tamen hic vt & barbarismum includat. Vltimo demum cum se his omnibus destitutum senserit ad nugationem eum perducere conatur, vt auditoribus ridiculum reddat: quod his vltimis duabus metis maximè contendere videtur. Est autem nugatio eiusdem termini in eadem oratione inutilis repetitio, vt si dicatur, Ioannes est homo homo. Hi autem fines omnes per accidens sunt a Sophista intenti præter primum, nempe cum illum adipisci nullatenus valet: & ideo tractatus hic de Sophisticis Elenchis dici solet à multis, nos de Syllogismo sophistico nostrū sequentes morem nuncupauimus.*

## Quid Elenchus vel fallacia, & quotuplex. Cap. 3.

HOs fines vō temerè cōsequi aut ualet aut nitit, sed arte q̄dā q̄ certos sibi p̄figit terminos, certaq; ad

*illos media. nam veluti Dialecticus ad asserendum probabile aliquid esse, certis quibusdam opus habet medijs, quæ loca vocauimus: ita & sophista seu cõtentiosus cum certos sibi præfixerit fines, certa etiam media parata habet ad illos attingendos, quæ & loca sophistica ideo, seu fallacias dicere possumus: qualiter & à nonnullis liber hic inscribi etiam solet. Sunt autem loca hæc bifariam distincta: alia enim in dictione, alia extra dictionem inuenire licet, in dictione seu propter dictionem sex enumeramus fallacias, extra illam totidem: de quibus omnibus sigillatim, sed compendio differemus.*

## De Fallaciis in dictione. Cap. 4.

IN DICTIONE *fallaciæ sunt, Aequiuocatio, Amphibologia, Compositio, Diuisio, Accentus, Figura dictionis. Quid sit æquiuocatio in primo libro satis explicuimus, superest tamen aduertere æquiuocationis nomine Amphibologiam etiã hic cõprehendi. Amphibologiam, apud Grammaticos patet idem efficere, & esse in oratione integra, quod æquiuocatio in vna tantum dictione: ita vt totam orationem æquiuocam Amphibologiam vocemus. De compositione & diuisione in modalibus nonnihil diximus, quæ illinc curiosus lector potest mutuare: in summa autem locus à compositione est, quando à sensu diuiso vero, arguitur ad compositum eiusdem numero propositionis vel alterius ex illa illata, falsum: verbi gratia, nigrum esse album est possibile, nigũ est non album, ergo possibile est non album esse album. Fallacia verò diuisionis est,*

*quando*

*quando à sensu composito vero arguitur econtra ad diuisum falsum: verbi gratia impossibile est stantem sedere, igitur stantem impossibile est sedere. Item extra modales contingunt hæ fallaciæ, quando vna eademq; determinatio diuersis adiuncta determinabilibus prorsus diuersos efficit sensus: verbi gratia, quicũque scit literas nunc, didicit eas, Petrus scit literas. ergo nunc didicit eas, vbi vides quod ly, nunc, in antecedenti determinat ly, scit, vt sit verum, & in consequenti ly, didicit. Ad quartam fallaciam, quæ accentus dicitur, referuntur, etiam variationes in aspiratione & quantitate syllabarum, in diuisione etiã partiũ, quæ cum vnam faciant dictionem simul sumptæ, duas diuisæ, ita & sensus uariant: uerbi gratia, omnis ara est sacra, ergo porcorum hara est sacra, mala sunt detestanda, poma sunt mala, ergo detestanda: item, qui dat centum aureos est dominus, ego do centum, ergo ego do, minus, referuntur & hæ uarietates interrogationum, admirationum, &c. deniq; omnis variatio quæ in sola prolatione consistit. Fallacia demũ figuræ dictionis, quando ex figura, idest, similitudine vnius termini cum alio uidetur aliquid vni tribuendũ, quod alij non illi tribui debet: ac si quia amare & vapulare habent eandem inflexionem, credatur secundum actionem significare, sicut primum, cum tamen cõtra sit. & hæc de fallacijs propter dictionem summatim.*

## De Fallaciis extra dictionem. Cap. 5.

PRIMA *extra dictionem fallacia solet assignari ea quæ accidentis appellatur, quæ cũ septem con-*

numerantur: nos autem consultò eam omittentes sex tantum computamus: oportet enim meminisse nos in hoc libro de ijs solum vitijs proposuisse dicturos, quæ circa materiam syllogismorũ uersantur; cũ ea quæ in forma latent suo satis abũde loco discusserimus: at accidentis fallaciam omnino ille vitauerit; qui oẽs à forma defectus prouenientes agnouerit, cum ferè eorum omnium defectus hic; sit epilogus quidã, præterea nihil. Sex ergo reliquæ sunt, A dicto secundũ quid, ignorantia Elenchi, petitio principij, fallacia cõsequentis, secundũ non causam ut causam, secundũ plures interrogationes ut unã. A dicto secundum quid ad dictũ simpliciter si arguamus, fallere possumus minus circunspectũ auditorem hoc modo, hæc statua hominis homo pictus est, ergo statua est homo, item Aethiops non est albus, ergo est niger secundũ dentes. Fallacia ignorantiæ elẽchi solet accidere aut ꝑpter malã intelligentiã, aut ꝑpter omnimodã ignorãtiã diffinitionis eius supra positæ, qua qs se credit redarguitũ cũ minime redargutus sit: v.g. si qs fassus fuerit Petrũ sedere, et in discursu disputatiõis ille surrexerit, arguetur in iliũ sic, ꝑ te Petrus sedet, et ecce stat, ergo sedẽs stat; credet se forsan reuictũ, non memor illius ꝑticulæ ly, in eodẽ tpe, in diffõne elẽchi appositæ. et eodẽ mõ licet piculũ facere in cæteris eius ꝑticulis. Petitio aũt principij (q̃ tertiã fecimus Fallaciã) est ut iam diximus qñ id qđ ꝓbãdũ esset aßumitur ad ꝓbationẽ alicuius, cũ tñ sit aut ita dubiũ aut plus q̃ id de quo disputatur; ut si qs uelit ꝓbare asinũ canescere, ex eo qđ muli canescũt, qđ æquè dubiũ est; nam pili albi, qui innascũtur eis nõ reputantur

cani. Sed hæc alterius sunt negotij. attamen hæc fallacia (vt facilè est videre) ad ignorationem etiam pertinet Elenchi, cum vna pars eius definitionis sit: seorsum tamen illam enumerauimus, tum propter peculiare eius nomen, tum propter ita ponentiū autoritatem. Fallacia cōsequentis illa vocatur, cum quis credit consequens cum antecedente recurrere seu conuerti, cum secus sit: verbi gratia, arguitur sic, hic est homo, ostenso Petro, ergo est animal, cumq; bene cōsequatur, creditur bene etiam cōsequi econtra, hoc est animal, ostenso equo, ergo est homo. Quare aduertere debet diligenter prudens disputator quæ nam consequentiæ recurrant quæ secus, ex ijs quæ per totum huius voluminis discursum latè disseruimus. Fallacia secundum nō causam vt causam, est quādo in antecedente alicuius cōsequentiæ ponitur aliqua quæ videtur causa non tamen est pro vera causa, nam tunc contingit decipi ita æstimantem: nō diximus (vt alij) quando præmissa quæ videtur esse causa cōsequentis non est causa eius: nā (vt iterū repetā) nūc nō agimus de vitijs male cōsequētiæ sed de vitijs in materia, id est, in p̄missis inuentis. fit ergo exēplū huius, Petrus ædificat, Petrus dormit, ergo dormiēs ædificat: vel, Paulus est causa efficiēs domus, Paulus est Poeta, ergo Poeta est causa efficiēs domus: vbi quia causa propria ædificationis ponitur Petrus cū accidentaria sit, (p̄pria quippe et per se est ædificator) cōcludūtur illa absurda. Fallacia demū secundum plures interrogationes vt vnā, fit seu cōmittitur cum pluribus vnicā interrogatione q̄sitis, vnica respōsione simplici satisfit, cū tamen deberet respōderi sigillatim.

ac

*ac si quis quærat de cæco & vidente simul, num hi duo sint videntes an non videntes? quod si simpliciter respondeatur esse videntes, vel esse non videntes, redarguetur manifestè, deberet enim sigillatim respōdere, alter est videns, alter non. Sed de his plusq̃ satis, sufficit enim arma aduersariorum innuisse ei qui bene proprijs fuerit instructus: quin & vitia illorum ostendisse, cum sua sint ab omni parte tutissima, satis est. vt igitur tandem librum vtili & vniuersali claudamus consilio, optimum ad omnes has fallacias antidotum id vnum est cum distinctione semper respondere: vt per singulas facile est videre.*

## Epilogus totius operis. Cap. 6.

*IGitur si à calce ad carceres recurrere libet, & præ oculos ea omnia quæ toto operis decursu transegimus velut in speculo habere, non abs re erit typo quodam Dialecticā oēm exprimere ac veluti delineare, non quoquo modo, sed ita vt & iudicandi ars, & item inueniendi, abunde (quod polliciti sumus) tradita ijs libris esse videatur. Primo igitur vt a limine incipiamus, inuentioni studens, compositorio modo quotquot in intellectum ac proinde in sermonem cadere possunt vocabula perspectissima, eorum & vim & naturam præ manibus habeat oportet: quod nimirum primus noster liber illi præstare poterit: Si attentè in eo perlegat quidquid de simplicibus dictum, de eorumq; natura, in intentione, in verbis, in re etiam, a nobis fuerit. In intentione, si quod modis vnum de altero prædicetur, an essentialiter, an accidentaliter, considerauerit, & si*

*& si essentialiter, an generè, an specificè, an (vt ita dixerim) differenter: si accidentaliter, an propriè, an transmutabiliter, omniumq; horum et diffinitiones habuerit cognitas, & eas exemplis examinatas. In re, si decem illas rerũ series memoria tenuerit, quidq; substantia, quid quantitas, qualitas, Ad aliquod & reliquæ categoriæ sint, antea discusserit, conditionesq; illorum tam generales quam peculiares in numerato habuerit, singulisq; illorum quinq; illas prædicãdi proprietates seu modos supra tactos applicuerit. In verbo demum, & hæc, & illa, ad nomina, uerba, syncategoremataq; trahere, vsu didicerit. Vnde nimirum ex verbo. s. & nomine quæ ex Prædicabilibus & Prædicamentis seligantur, orationes primũ, propositionem deinde, tam affirmantem, quã negantem, tam vniuersalem, quam particularem, indefinitã, & singularem, tam categoricam, quam hypotheticam, tam modalem quam causalem, conditionalem, copulatiuam, exponibilemq; efformare proprio marte conetur: inq; ijs & oppositiones nempe contradictiones, contrarietates, priuationes, et subalternationes, consequentiarũ item normam, et arguendi modos exercuerit. Demum in extremis earum proprietates logicales dignouerit, quò modo. s. supponant, appellent, amplietur etc. Vt ex hac tam multiplici farragine ac suppellectili, formã quandam syllogisticam coagmentet, cui propositiones seu præmissas, modo necessarias locis ab arte diffinitiua petitis, modo probabiles argumentis ab arte topica mutuatis, addere tentet. Vltimo demum postquam ita*

*lector aut fructũ aut voluptatẽ allaturũ: quidquid tamen successerit nõ potes sine ingratitudinis nota multum mihi non debere, Nam si conatibus meis arrisérit sors, acceptũq; et nõ ꝓrsus inutile quidquid id est munusculi, tibi (cui soli insudauimus) fuerit eum fructum (qui licet paruus in re tam seria non contemnendus esse põt) nobis debebis, sin uero quod ingenioli mei uiribus pensitatis potius timeo, fastidiũ tibi sint nostræ vigiliæ pariturae, opinionis meæ iacturam quam longo labore (quo tibi in aliquo prodessem) incurrere nõ sum veritus, nunquam certe resarcies, nisi sicubi erratum fuerit benigne condonaris: animumq; meum tibi semper operam nauantem, & agnoueris, et mutua beneuolẽtia fueris ꝓsequutus, id quod generosi vtiq; erit et bene instituti animi, quem ibi ostendisse mihi etiam acceptũ referes, si is eris: ita vt uix sine ære alieno tibi hinc sit recedẽdum. Ne igitur nunquã finiam, obtestor te Candide lector in calce totius operis, ne indicta (vt aiunt) causa me damnaris, benignas prius aures quisquis pro se dicit solet postulare, libellus meus qui non pro se modo sed pro suo etiam Autore in medium coram te iudice sit proditurus, alteram tãtum aurem a te exposcit, legas nempe seu audias semel illum loquentem, si perlegere non libet, itaque sententiã tuleris: quam in vtrã partẽ fuerit lata, a te nempe à candido ...*

# INDEX LIBRORVM ET CAPITVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Litera A. designat primam paginam B. secundam.

## Liber primus de simplicibus.



## Liber secundus de compositione & diuisione.



De indu-

## Liber tertius de syllogismo in genere.



## Liber quartus de demonstratione.

## Liber quintus de syllogismo topico.



## Liber sextus de syllogismo sophistico.



FINIS.